This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

30.
403.

SCHOLIA

IN

LUCAE EVANGELIUM

AD

SUPPLENDOS RELIQUORUM INTERPRETUM COMMENTARIOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS AUGUSTUS BORNEMANN

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR SCHOLAE AFRANAE PROFESSOR.

ACCESSERUNT

CURAE SECUNDAE AD ACTORUM CAP. XIX. sqq. ET DE GLOSSEMATIS NOVI TESTAMENTI CAUTE DIIUDICANDIS DISSERTATIO.

LIPSIAE

SUMPTIBUS BAUMGAERTNERI

MDCCCXXX.

403.

LECTORI S.

Laudabili nuper studio coeptum est, quidquid post *Fischerum* et *Valckenarium* ad graecae linguae leges rectius subtiliusque exquirendas et constituendas a viris graece doctissimis animadversum est et collectum, in sacrarum literarum interpretationem transferri, nec videtur nisi hoc restare, ut cunctis earum scriptis eadem, quae singulis *) contigit, lux afferatur, ne iuvenes theologiae studiosi, quae partim in scholis a praeceptoribus, partim ex recentioribus grammaticis et melioribus veterum scriptorum editionibus cognita habent, dediscere ante et oblivisci cogantur, quam multos scripturae sacrae interpretes rite audire queant et intelligere, a quibus qui testimonii causa laudantur libri non sunt amplius in iuvenum manibus, quos in promptu habent, horum nulla fere ducitur ratio. Quae quum ita esse in Actis explicandis ante aliquot annos perspexerim **), tum vehementer optan-

*) Nuperrime his accessit *Fritzschii* commentarius in Marcum, quem mihi in elaborandis Scholiis nondum praesto fuisse est quod doleam.

**) Vid. Addenda et Corrigenda ad Kuinoelii Commentarium in Act. Apost. cap. XIX sq. inserta *Rosenmuelleri* Repertorio bibl. exeget. Vol. II.

dum est, ut ne Lucae quoque evangelium diutius neglectum iaceat, quod in iis esse libris constat, quorum ad lectionem omnibus, qui Atticorum elegantia tincti et reconditioribus linguae graecae legibus perceptis ad sacra scripta accedunt, quam facillima et commodissima via patefacta est. Mihi enim, quum non propositum esset divinum evangelium pleno et perpetuo commentario instruere, atque centies dicta decantare, non licuit nisi hic illic aut eam, quae vera videretur, interpretationem scripturamve aliquo modo confirmare, aut falsam erroris convincere, aut etiam sicubi, quod nondum a quoquam decessorum animadversum esset, interpretanti occurreret, in chartam coniectum virorum intelligentiorum examini subiicere. Etenim quae sexcentis in libris philologicis habentur, mirum non est, si nonnullos adhuc interpretes latuerant. Sunt vero etiam, qui quum *Wineri*, *Matthiaei* aliorumque grammaticas ut integras lectitent et pertractent, a se impetrare nequeant, nolint tamen amplius in iis subsistere, quae pridem explosa esse noverunt et reiecta. Horum igitur potissimum gratia, quoties oblata est occasio, lectores benevolos ad scripta illa ablegandos duxi, unde ipsi peterent, quod vel assensu suo comprobarent vel corrigerent: simul ut graecarum litterarum ambitum, qualis esset, accurataque earum scientia quantum ad pleniorem perfectioremque librorum sacrorum intelligentiam conferret, iuvenes nostri perspicerent.

Superiore saeculo antequam philologi scripturae sacrae operam navare desiissent, vix usquam illustrior repertus est criticus, quin aut de industria aut in transcursu locos quosdam novi testamenti interpretaretur. In his eminent *Marklandus* et *Dorvillius*, immensae viri doctrinae acerrimique acuminis, quorum tamen hodie neglectas mireris adnotationes, haud uno illas loco in commentariis ab iis conscriptis in medium prolatas. Cuius criminationis ne me et ipsum reum facerem, illorum observationibus passim allatis operae me pretium fecisse arbitrabor, si in posterum ipsos fontes adire minus dedignabuntur nostrates interpretes. Quo plures saepe explicationes sacrorum librorum oratio videtur admittere, quoque certioribus singulorum locorum scriptura innititur fundamentis, eo magis cavendum est, ne quis ad opinionis praeiudicatae arbitrium de rebus gravissimis sanctissimisque diiudicet, nec alterum pro altero positum, genuinum hoc, illud insiticium esse temere existimet. Quapropter etsi fore praevideo, qui rideant ex graecis scriptoribus congesta tot testimonia, spero tamen aut potius confido, non defuturos alios, qui unamquamque sive vocem sive sententiam his in libris repertam firmissimam malint et certissimam esse, quam tentatam unquam et dubitatam ab hominibus, qui, si verum fateri volumus, saepe ne primoribus quidem labris, ut dicitur, graecitatem attigerunt. Quorum in interpretandis et sollicitandis scri-

pturae sacrae locis ne longius posthac libido serpat, *Dissertationem de Glossematis N. T.* qualemcunque scholiis praemittendam putavi, non quo nulla plane interpretamenta contextae orationi opiner adhaesisse, sed quia aequo animo non videbatur diutius ferendum esse, ut integerrima quaeque levissimis, ne dicam nullis rationibus impugnata attrectarentur textisque exsulare iuberentur. Quodsi quid unquam glossematis habet speciem, verba sunt *τῶν Σαδδουκαίων* in Lucae evang. cap. XX, 27., quae tamen equidem non magis loco movere ausim, quam perpaucorum codicum sequi auctoritatem, qui Apocal. XIV, 12. *ὧδε ὑπομονὴ τῶν ἁγίων ἐστὶν, οἱ τηροῦντες τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ* nominativum participii in genitivum mutarunt. Cf. III, 12. Sed in Dissertatione illa, ut in reliquis ad Lucam scholiis, si quid arbitri me doctiores ab aliis occupatum aut etiam falsum esse senserint, hoc velim non tam fastidiosae insolentiae, cuius causas semper a me procul habui, quam vel erranti vel parum a suppellectile literaria instructo benevole tribuant. *Si quid novisti rectius istis, Candidus imperti; si non, his utere mecum.*

Scripsi Misenae in Saxonia Idibus Ianuar. MDCCCXXX.

DE
GLOSSEMATIS NOVI TESTAMENTI CAUTE DIIUDICANDIS.

Quum de interpolationibus, quibus veteres vel lectores vel interpretes scripturae sacrae contextum inquinare et depravare ausi sunt, modestissime pariter et doctissime perscripsisset *Carolus Christianus Tittmannus* *), ante hos quindecim annos in Batavia extitit *Wassenberghius*, qui *Valckenarii* scholiis in libros quosdam N. T. a se editis dissertationem praemitteret de Glossis novi testamenti **), doctrinae illam quidem specie quadam commendabilem, qua effectum esse suspicor, ut complures in Germania patronos, quam par erat ***), nancisceretur, sed si quis eam accuratius inspexerit, audacissimis coniecturis adeo refertam, nullam plane ut in iis, quae suo Marte immutanda et radicitus exstirpanda iudicavit, auctoritatem apud peritos rei criticae iudices mereatur. Quamquam enim in permagno

*) In Commentatione de glossematis N. T. recte investigandis et a verbis genuinis accurate discernendis Opp. theol. Lipsiae 1803. p. 501 sqq.

**) Vid. Tom. I. Dissertat. p. 1—82.

***) Vid. edit. *Griesbach* et *Schulz*. not. ad Luc. II, 42. III, 22. VI, 8. IX, 3. 25. Ioh. III, 24. IV, 9 etc.

diversarum lectionum numero, quas glossatoribus adscripsit, aliae pridem a criticis damnatae in textis recensitis non amplius comparent, aliae, bonorum quippe fide librorum destitutae, de interpretamento ita suspectae sunt, ut nemo facile earum patrocinium hodie susceperit, in plerisque tamen critici provinciam, quae singulorum codicum pretia et testimonia undique ponderari et examinari iubet, antequam scripturam aliquam vulgo receptam in dubium vocaveris, cui rite explendae, si verum fateri volumus, multorum hominum aetates viresque vix suppeditaverint, adeo non curavit vir doctissimus, ut mero opinionis arbitrio obsequutus de quaestionibus gravissimis dissensionisque inter doctos plenissimis verbo plerumque decerneret, atque inter alia levitatis indicia, quam scripturam Ep. Philem. v. 7. primus receperat *Griesbachius*, χαρὰν γὰρ ἔχομεν, appellare vulgatam et ad Matth. III, 4. codicum assensum confingere non erubesceret. Enimvero scriptorum librorum testimoniis nihil opus habet, cui solius ingenii ope contigit perspicere, quidquid a nasutorum hominum aut ab ipsorum scriptorum manu profectum, quid quovis loco germanum, quid adulterinum sit. Sed hanc ingenii felicitatem quemadmodum gratulamur omnibus, quibus singulari fortasse numinis divini beneficio concessa fuit, ita magnopere veremur, ne invitis codicibus in sacrae scripturae contextu nemini quidquam liceat vel addere pro lubitu, vel demere. Contra *Wassenberghius*, si a perpaucis illis discesseris, in quibus *Millium*, *Bengelium*, *Wetstenium*, *Valckenarium*, *Griesbachium*, alios sequutus est,

eo processit audaciae, ut etiam ubi libri manu exarati, patres, conversiones et reliqua monumenta ad unum omnia in aliqua lectione consensissent, haud paucos locos tanquam inutilia interpretamenta eiicere quam illustrare et vindicare maluerit. Audiamus ipsum p. 3. hunc in modum disputantem:
„ut tuenda sunt, neque ullo modo deserenda, quae „revera ab *Apostolis*, aut *Apostolorum Discipulis* „profecta sunt, quaeque gravissima omnia Christia„nae disciplinae complectuntur capita, quibus nihil „omnino pretiosius, nihil sanctius, nihil ad vindican„dum dignius: ita quod ipsorum scriptis seriori aevo, „etiamsi bono saepe consilio a Lectoribus sedulis, „aut Interpretibus adiectum, ac describentium mox „incuria, ignorantiave hic illic immixtum est, solli„cite inde separandum, ut sua, qualis ab initio erat, „sacris Libris constet puritas. At quanto magis hoc „agendum videbitur, si augmenta illa extrinsecus il„lata Lectori impedimento sint, quo minus scriben„tis mentem assequatur; si nexum locorum natura„lem interrumpant; si difficultates obiiciant nulla In„terpretum, etiam acutissimorum, perspicacitate, „nisi expulsa Glossa, removendas: denique (quod de „paucis quibusdam vere affirmari potest) si manife„sto falsa esse deprehendantur!“

Ab extremis ut exordiar, si verum est, quod dictitant, non aliis legibus sacra quam Atticorum vel Romanorum scripta metienda esse, quam multi in omnibus scriptoribus, quotquot ad nostram usque pervenerunt aetatem, reperti sunt loci, qui quum nullo pacto cum testimoniis aliunde cognitis conciliari

queant, errantibus solum scriptoribus imputandi videantur; quam multi tam ad intelligendum difficiles, ut, etsi nullis non interpretandi subsidiis adhibitis summi viri in iis illustrandis navam posuissent operam, omnes tamen de vero sensu inveniendo desperare se faterentur; quam multos vero etiam locos superiore saeculo male perspexerunt, quorum de mente qui hodie dubitent, periculum est, ne intelligentium hominum risui se et ludibrio exponant! Nam quum veterum scientia linguarum non magis ullis limitibus circumscripta sit, quam ceterae disciplinae in vero investigando occupatae, minime mirum videri debet, si nostri interpretes ut multis in rebus, quam prisci quidam, aliquanto plus viderunt, ita novas difficultates, ad quas nondum quisquam offenderat, detexerunt a posteris haud dubie enucleandas. Quare temeritatis crimen nec ii effugient, qui, quod loci cuiusdam rationem vel ipsi vel alii non satis exploratam habeant, idcirco verba quaedam eliminanda esse statuant, nec qui perspicua, vulgaria et trita velint omnia in scriptoribus esse, et aetate et moribus et ingenio ab nostris temporibus immensum quantum discrepantibus. Atqui quae ipsi apostoli eorumque discipuli scripserunt, tantum abest *Wassenberghius* ut sollicitet, ut nihil nisi inepta interpretum et librariorum commenta delenda putet. Audio, sed haec ipsa obsecro commenta quomodo ab germanis apostolorum verbis dignosci poterunt, si neglectis testibus fide dignissimis, quibus solis velut firmissimo fundamento omnis religionis integritas superstructa est, neque ulla ab codicibus eligendi optione data,

quare alterum alteri praeferas, hoc integrum, illud commentitium habeas, alia causa nulla utaris, nisi quae in animo eius, qui excogitavit, posita est? Quodsi, quaecunque vel naturalem sententiarum nexum interpellare, vel lectoribus nostris obscura vel etiam supervacanea esse videntur, omnia haec interpretum sedulitati incuriaeque debentur, ubinam vel nunc vel olim quaeremus illud, quod nemini unquam nec inconcinnum, nec impeditum, nec superfluum visum fuerit?, ubinam tunc urendi secandique initium erit, ubinam finis? De eo enim, quod utile sit, quod inutile, quod aptum, quod ineptum et inconditum, nemo nescit, quantopere omnibus temporibus hominum sententiae inter se dissenserint, alterique quam maxime videri necessarium, quod ut incomptum et horridulum alter abominetur, neque omnino quidquam tam sanctum divinumque apparere omnibus, quin impiis manibus attractare quidam et arrodere tentent. Tales fere nugae *Wassenberghio* visae sunt hebraeorum nominum interpretationes, quibus sacri libri repleti sunt, Iudaeis fortasse plerisque notissimae, sed gentilibus sine dubio obscurissimae; tales sunt illi loci omnes, quos singuli scriptores cum aliis communes habent, et qui easdem res diversis licet verbis expressas referunt; tales integrae epistolae, quas apostolis suppositas esse permulti demonstratum iverunt; tales denique, quotquot adhuc habemus, libri sacri, quibus, dum Batavo nihil pretiosius esse videtur, nihil sanctius, nihil ad vindicandum dignius, nullo defuerunt tempore, qui nihil opus esse praefracte dictitarent!

Quae ne quis temere a me disputata existimet, conferat is mihi et apud animum perpendat, quod *Wassenberghius* ipse p. 12. de hoc glossematum indagandorum studio sperat aliquando futurum esse. „Neque etiam nos, inquit, qui in tractando hoc argumento quasi secundarii sumus, id videmur nobis effecisse, ut tertiis nihil, quartisve agendum reliquerimus!" *) Quibus quid significari aliud putabimus quam hoc: neque vero ego, qui ducenta duntaxat (tot enim circiter in Dissertatione notavit) interpretamenta praeter rem rimatus sum, in hoc tantillo numero ita mihi ipsi satisfecisse videor, ut, si qui meis olim insistent vestigiis, hos ne putem alia sexcenta temere odoraturos esse, quibus tandem aliquando exstirpatis funditusque sublatis nihil iam de sacris scriptis reliqui futurum sit, nisi innumera glossemata, propediem ad Kalendas graecas remittenda!

Sed remoto ioco ad rem ipsam antequam accedamus, glossam qualem *Wassenberghius* nominaverit, paucis videamus necesse erit. „At veri demum nominis *glossas* dicimus, quae aut *interpretandi* gratia, aut *illustrandi* animo adiectae sunt," atque p. 12. „Glossarum N. T., inquit, hoc statuimus Criterium, *abesse posse sensu integro.* Itaque quum expuncto Glossemate nihil omnino, nisi quod inutile sit, aut certe non necessarium, Contextui de-

*) Similiter sub calcem Dissert. p. 82. „Haec habui, inquit, de Glossis N. T. quae dicerem, *non omnibus omnino*, talibus tamen, unde genus hoc aliquanto melius cognosci possit."

cedat, etiam Doctrina de Glossis nihil argumento detrahit sacrarum literarum; nihil earundem integritati auctoritative nocet: quin potius ad nativam illas puritatem ac simplicitatem revocare nititur. Saepe etiam fit, ut sublata Glossa primitivus locorum nexus restituatur." Cave probes, quae verendum est ne centesimam minimum priscorum scriptorum partem nobis eripiant, quandoquidem ex universa antiquitate nullus liber temporum evicit invidiam, quin innumera membra, vocabula, particulas habeat, quae quum singulis vel rebus vel verbis illustrandis et interpretandis inserviant, tum sensu, quem primarium dicimus, integro abesse poterunt. Tam sacros quam profanos, qui vocantur, scriptores attente lectitantibus modo universales occurrent sententiae, quae alio in loco perpaucis iisque levibus verbis mutatis eiusdem argumenti repetuntur, modo longiores interpositiones, quas textis subscribere nostrates, veteres vero ceteris verbis iniquissimo nonnunquam loco inserere consueverunt, haud raro rem explicantes aliis gravissimam, aliis ineptissimam ac tantum non inutilem visuram. Graecae praesertim linguae iugenium qui cognitum habuerit, neminem latebit, prae ceteris eam dicendi quadam verbositate et tautologia quum aliis in loquutionibus, tum in temporum locorumque notionibus exprimendis conspicua, ingente insuper paticularum abundare numero, quae nec ullo loco expletivae esse dicique possunt, et maxima hic illic primariae sententiae momenta addunt singularum vocum vi tum efferenda et amplificanda, tum minuenda et restringenda. Qualia si quis omnia e

contextu opinetur propterea eiicienda esse, quod argumentum ipsum, in quo tractando cum maxime scriptor versatur, nihil aut parum afficiant, nae is videat, ne nativa linguae simplicitate ac puritate plane eversa mutilatam nobis ac balbutientem recentiorum hominum nescio quam linguam pro vetere, plena ac numerosa venditet, neque minus imperfectam mancamque scriptoris sententiolam, quam pleraque dolemus artis opera et simulacra ad nos translata esse, quae nulla hodie arte suppleri licet et ad pristinam integritatem restitui. Sed in vetustis aeque et recentioribus libris quum absonum fuerit deleri, quae salvo sensu abesse queant, tum in sacris libris tanto maior cautio adhibenda est, quanto omnia Christi et apostolorum effata praeceptaque ad vulgarem dialectum sermonisque familiaris ubertatem propius accedunt, cuius esse proprium solet, quo videlicet plenius et dilucidius mentem suam cum lectoribus et auditoribus communicet, non solum verbis uti aliquanto pluribus, quam opus erat, atque unam eandemque sententiam ad Hebraeorum exemplum synonymico, quem vocant, membrorum parallelismo utentium diversis saepe vocabulis exprimere et iterare, verum etiam explanare, dilatare et inculcare, quae doctiores homines paucioribus statim accepta in succum verterint et sanguinem.

Glossemata magnam partem vetustissima esse hoc est incredibilior *Wassenberghii* suspicio (vid. p. 13.), quod, qui primis rei christianae seculis vixerunt lectores, minus sine dubio ab singulorum vel difficillimorum locorum sensu aberrare potuerunt,

quam qui et natione et legibus linguaque diversissimo floruerunt tempore. Inde est, quod antiquissimi quique codices ab interpretamentis purissimi in manus nostras venerunt, nisi forte seriori quaedam aevo ab secunda tertiave manu adscripta sunt. Huc accedit, ut, dum philologi nostri, si quando loci cuiusdam, ex graeco latinove scriptore decerpti, integritatem sive codicis sive scholiastae ope decimo, imo vigesimo saeculo*) exarati postquam ab auctore locus fuisset compositus, confirmatum viderint, immensum quantum laetari solent et exsultare, nulla hominum aetate defuerint, quin ad novi testamenti scripta eorumque argumentum aut alluderent, aut ipsa eius verba memoriter excitarent, donec quae quarto quintove saeculo conscriptae fuerant membranae et translationes partim ad nostra usque tempora pertenderunt. Hinc non iniuria dicas effectum esse, ut omnibus vel ex rebus, quae usquam gestae sunt, vel ex libris, qui olim sunt compositi, nulla unquam res, nulla doctrina certioribus historiae testimoniis innitatur, quam quae in sacris litteris memoriae tradita fuit. Sed redeundum ad glossemata, quae qui antiquissimis iam temporibus evangeliorum et epistolarum aut ad oras aut in spatio interlineari adiecta fuisse statuunt, plerumque ad verba *Clementis Alexandr.* Stromat. IV. p. 490. D. ed. Colon. provocant: *Μακάριοί, φησιν, οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης· ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται, ἢ ὥς τινες τῶν*

*) *Eustathium* potissimum dico Homericorum interpretem.

μετατιθέντων τὰ εὐαγγέλια, Μακάριοί, φησιν, οἱ δεδιωγμένοι ὑπὸ τῆς δικαιοσύνης· ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι· καὶ μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκα ἐμοῦ· ὅτι ἕξουσι τόπον, ὅπου οὐ διωχθήσονται, ex quibus colligi quidem licet, fuisse Clementis aetate, qui evangeliorum locos quosdam scholiastarum modo eloquutione circumscribere et explanare studerent *), sed interpretamenta ista codicum marginibus an textis apposuerint, an vero singularibus libris tradiderint, incertum utique relinquitur. *Wassenberghius* tamen non modo suspicatus est, glossemata codicum marginibus adscripta persaepe in ipsum contextum illata esse, sed, quod maius est, idem etiam certa quaedam criteria cognita habuit, quibus, quidquid ab alienis manibus intersertum fuerit, facili scilicet negotio agnitum possit reiici. Nimirum

„Glossarum," inquit, „fere indicia sunt et signa adiectae voculae *ἤ, τοῦτ' ἔστι,* vel *τουτέστι, ὅ ἔστι,* aliquando *ὅς ἐστι, γάρ, ὅτι.*"

Sed eaedem formulae vocesque quam saepe in omnibus Graecorum scriptis, ut nauseam faciant legentibus, recurrant, non ignorant qui vel unum ex illis pervolutaverint, in novo autem testamento quoties eaedem non tantum scriptae reperiantur, verum etiam ab sententiarum nexu efflagitentur, quum Lexica doceant et Concordantiae, non est quod copiosius ex-

---

*) *Scholzio* auctore Proleg. ad N. T. Tom. I. p. XIV. *οἱ μετατιθέντες τὰ εὐαγγέλια* sunt, qui transpositiones faciebant, v. c. loca respondentia coniungebant, imo *οἱ μεταφράζοντες,* qui evangeliorum verba aliis similibus idemque significantibus commutabant.

ponatur, praesertim quum, ut postea videbimus, ne unum quidem ex hoc genere locum *Wassenberghius* attulerit, qui de glossemate nos cogitare iubeat. Nec maioris vero momenti sunt, quae multa praeterea in universum de glossarum vel certis vel ambiguis indiciis adversarius disputavit, ut cum glossemata ista modo subiici verbis obscurioribus modo praecedere dixerit: aliud genus ad verba singula, aliud ad disputationem et narrationem ipsam referri, ab indoctioribus alia, alia ab doctioribus profecta esse. Haec enim omnia, quaeque eiusdemmodi alia alibi observavit, ita comparata sunt, ut totidem verbis rectius ad scriptores ipsos transferas, qui sive illustrandi causa quae scripserant, nunc unum nunc plura vocabula apposuerint, sive commoto animo dicendique fervore quodam abrepti, vel negligentia quadam ducti structura legitima exciderint, sive denique alia quapiam graviore de causa, quidquid delicatulis viri docti auribus displicuit, suo quodque loco adiecerint. Quis enim neget, scripturae sacrae auctores et dubia subinde tollere (p. 18.), et addere aliquando voluisse (p. 19.), quae elegantiores et pressiores scriptores rectius fortasse reticuerint? Quem fugiat alios apostolos aliis doctiores fuisse? Ab iisdem quis metum abiudicet anxium, ne qua forte prave ab legentibus intelligerentur? Denique quis nesciat, ut in ceteris monumentis antiquis, ita in evangeliis etiam et epistolis haberi, quae, quum sint infinitis difficultatibus obnoxia, variis de causis nondum quisquam satis ceperit, explicaverit, declaraverit? Quibus ex contextu remotis ut impedimenta tollantur intellectu-

ris molestissima, at cum iisdem simul proprium piorum hominum tolletur ingenium, evanescet orationis simplicitas, granditas, quid? quod asperitas et salebrae, quae vel obscuritate sua omnes, ut in sensu singulorum verborum exquirendo desudent, excitare et allicere debent. Supersedit hoc labore Batavus, maluitque imperitorum medicorum imitari exemplum, violentis medicamentis aegrotos necantium, quam sobrii critici et interpretis partes agere. Itaque fieri non potuit, quin, quum necatorum a se scriptorum, (ut *Hermanni* verbis utar in Emendatt. Coluthi p. 3.) magna cadavera publice exponeret, ad artem eius nemo amplius confugeret. Mihi certe consultius esse visum est, quae apparatissimo ac prope regio funere *Millii*, *Bengelii* et *Griesbachii* extulissent, his cadaveribus faustissima quaeque apprecari, quam *Wassenberghii* iudicium sequi, etiam quae sanissima sunt temerariis manibus non modo attrectantis, verum etiam, dum spirant, vespillonibus exportanda tradentis. Cuius praescriptis si qui tamen velint obsequi, h. e. si pergant glossematum hoc statuere criterium, *abesse posse sensu integro*, quo clarius et dilucidius omnes intelligant, tam violenta medicina quorsum aliquando evasura sit, age exempli loco, quod non quaerenti sese ultro obtulit, Lucanei evangelii caput eligamus IX. et epistolae Pauli ad Ephes. cap. V., in quibus quae nemo facile, si absint, desideret, lunatis signis, quae parenthesis sunt, notemus, uncorum nota inclusis, si quae sacrarum argumento literarum nihil magnopere detrahant. *Griesbachii* me recensionem sequi, vix opus est ut moneam.

Luc. IX, 1. Συγκαλεσάμενος δὲ τοὺς δώδεκα ἔδωκεν αὐτοῖς (δύναμιν καὶ) ἐξουσίαν ἐπὶ (πάντα) τὰ δαιμόνια καὶ νόσους (θεραπεύειν) vel ἐξουσίαν θεραπεύειν, 2. καὶ (ἀπέστειλεν αὐτοὺς) κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ (καὶ ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας), 3. καὶ εἶπε (πρὸς αὐτούς)· μηδὲν αἴρετε εἰς (τὴν) ὁδόν, (μήτε ῥάβδον, μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν)· 4. καὶ (εἰς ἣν) ἂν οἰκίαν εἰςέλθητε, (ἐκεῖ) μένετε καὶ (ἐκεῖθεν) ἐξέρχεσθε· 5. (καὶ ὅσοι) ἂν μὴ δέξωνται (ὑμᾶς), (ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνης) καὶ τὸν κονιορτὸν (ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν) ἀποτινάξατε (εἰς μαρτύριον) ἐπ' αὐτούς. 6. (Ἐξερχόμενοι) δὲ διήρχοντο (κατὰ τὰς κώμας) εὐαγγελιζόμενοι (scrib. διήρχοντο δὲ εὐαγγ.) καὶ θεραπεύοντες πανταχοῦ.

7. Ἤκουσε δὲ Ἡρώδης (ὁ τετράρχης cl. III, 19. τὰ γινόμενα ὑπ' αὐτοῦ) πάντα καὶ [διηπόρει διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπό τινων, ὅτι Ἰωάννης ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, 8. ὑπό τινων δέ, ὅτι Ἠλίας ἐφάνη, ἄλλων δέ, ὅτι προφήτης (εἷς) τῶν ἀρχαίων ἀνέστη (cl. v. 19.), 9. καὶ] εἶπεν (Ἡρώδης)· Ἰωάννην (ἐγὼ) ἀπεκεφάλισα· τίς δέ (ἐστιν οὗτος), περὶ οὗ (ἐγὼ) ἀκούω τοιαῦτα; καὶ ἐζήτει ἰδεῖν (αὐτόν). 10. Καὶ (ὑποστρέψαντες) οἱ ἀπόστολοι διηγήσαντο αὐτῷ, ὅσα ἐποίησαν· καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς ὑπεχώρησε (κατ' ἰδίαν) εἰς τόπον ἔρημον πόλεως (καλουμένης) Βηθσαϊδά. 11. Οἱ δὲ ὄχλοι (γνόντες) ἠκολούθησαν (αὐτῷ)· καὶ (δεξάμενος αὐτοὺς) ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας (θεραπείας) ἰᾶτο. 12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν (Brevius XXIV, 29. κέκλικεν ἡ ἡμέρα)· (προςελθόντες) δὲ οἱ δώδεκα (scrib. οἱ δὲ δώδεκα) εἶπον αὐτῷ· ἀπόλυσον τὸν ὄχλον, ἵνα (πορευθέντες εἰς τὰς κύκλῳ κῶμας καὶ

τοὺς ἀγροὺς καταλύσωσι καὶ) εὕρωσιν ἐπισιτισμόν, ὅτι ὧδε (ἐν ἐρήμῳ τόπῳ cl. Wassenbergh. p. 35.) ἐσμέν. 13. Εἶπε δὲ (πρὸς αὐτούς)· δότε (αὐτοῖς) ὑμεῖς φαγεῖν· οἱ δὲ εἶπον· (οὐκ) εἰσὶν ἡμῖν (πλεῖον ἢ) πέντε ἄρτοι καὶ ἰχθύες δύο, (εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς) ἀγοράσωμεν (εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον) βρώματα. 14. [Ἦσαν γὰρ ὡσεὶ (ἄνδρες) πεντακισχίλιοι cl. Wassenb. p. 14. 3.]· εἶπε δὲ (πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ)· κατακλίνατε αὐτοὺς (κλισίας) ἀνὰ πεντήκοντα· 15. καὶ (ἐποίησαν οὕτω, καὶ) ἀνέκλιναν (ἅπαντας). 16. Λαβὼν δὲ τοὺς (πέντε) ἄρτους καὶ (τοὺς δύο) ἰχθύας, (ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν cl. Ioh. VI, 11.) εὐλόγησε(ν αὐτοὺς) καὶ [κατέκλασε καὶ] ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς παρατιθέναι (τῷ ὄχλῳ). 17. (Καὶ ἔφαγον) καὶ ἐχορτάσθησαν πάντες· καὶ ἤρθη (τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς) κλασμάτων κόφινοι δώδεκα (cl. Schol. ad Luc. XXIV, 4.) κ. τ. λ.

Ep. ad Ephes. cap. V, 1. Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ θεοῦ, (ὡς τέκνα ἀγαπητά)· 2. καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς (ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ) παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν (προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας). 3. Πορνεία δὲ καὶ (πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ) πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, (καθὼς πρέπει ἁγίοις)· 4. Καὶ [αἰσχρότης καὶ μωρολογία (ἢ εὐτραπελία cl. Wassenb. p. 14. p. 54. p. 58. p. 68. p. 69.)] τὰ οὐκ ἀνήκοντα· ἀλλὰ (μᾶλλον) εὐχαριστία· 5. Τοῦτο γὰρ ἴστε (γινώσκοντες cl. Addend. ad Act. XXVI, 4.), ὅτι πᾶς (πόρνος ἢ) ἀκάθαρτος ἢ πλεονέκτης, [ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης], οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ (καὶ θεοῦ). 6. Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω (κενοῖς) λόγοις· [διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας]. 7. Μὴ (οὖν) γίνεσθε συμμέτοχοι αὐτῶν. 8. Ἦτε γάρ

(ποτε) σκότος, νῦν δὲ φῶς ἐν κυρίῳ· [ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε]· 9. Ὁ (γὰρ) καρπὸς τοῦ φωτὸς ἐν πάσῃ ἀγαθωσύνῃ (καὶ δικαιοσύνῃ) καὶ ἀληθείᾳ· 10. Δοκιμάζοντες τί ἐστιν εὐάρεστον τῷ κυρίῳ(· 11. καὶ) μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις (τοῖς ἀκάρποις) τοῦ σκότους, μᾶλλον δὲ (καὶ) ἐλέγχετε· 12. τὰ γὰρ (κρυφῇ) γινόμενα ὑπ' αὐτῶν αἰσχρόν (ἐστι cl. I. Cor. XI, 6.) καὶ λέγειν· 13. τὰ δὲ πάντα (ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς) φανεροῦται· [πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι]. 14. Διὸ (λέγει·) ἔγειρε*) ὁ καθεύδων(, καὶ ἀνάστα) ἐκ τῶν νεκρῶν, (καὶ) ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. 15. (Βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς) περιπατεῖτε(, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ') ὡς σοφοί, 16. (ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν,) ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. 17. (Διὰ τοῦτο μὴ) γίνεσθε (ἄφρονες, ἀλλὰ) συνιέντες, τί τὸ θέλημα τοῦ κυρίου· 18. καὶ μὴ μεθύσκεσθε (οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία), ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι 19. λαλοῦντες ἑαυτοῖς (ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ) ᾠδαῖς (πνευματικαῖς, ἄδοντες) καὶ ψάλλοντες (ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν) τῷ κυρίῳ(, 20. εὐχαριστοῦντες) πάντοτε ὑπὲρ πάντων, ἐν ὀνόματι (τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ cl. *Gersdorf. Beiträge* I. p. 286.) Χριστοῦ, (τῷ θεῷ καὶ πατρί) κ.τ.λ. κ.τ.λ.

Poterunt opinor eadem verba aliis etiam permultis modis detorqueri et in brevius utcunque contrahi, idque auctor sum ut ii faciant, quibus se *Wassenberghii* doctrina probaverit; equidem tamen satis habebo paucissimis significasse, in locis supra positis de industria nihil a me inclusum esse, nisi quod,

*) Imperativus hic, cum ἄγε conferendus, habet quo se tueatur etiam Eurip. Iphig. Aul. 614. ed. *Matth.* dissentiente licet *Fritzschio* ad Matth. p. 336 sq. Nam Aristoph. Ran. 336. *Dindorf.* alius est generis.

Batavi si praecepta sequamur, apertam glossematis speciem prae se ferre videretur. Etenim quemadmodum illic nunc vana simillimorum verborum cumulatio offensionem habeat, nunc importuna rerum manifestissimarum amplificatio frigeat, nunc alia alio nomine suspicacibus hominibus, iis praesertim, quibus quatuordecim glossarum capita et criteria a *Wassenb.* constituta non displicuerint, vel supervacanea vel inutilia appareant, sic quidquid glossematum e sacris scriptis vir doctissimus eiectum voluit, in quinque potissimum classes licebit dirimi, quarum prima eos locos comprehendat, in quibus *simillimae significationis verba scriptoribus sacris coniungere vel non ita multo post iterare placuit*, secunda eos, in quibus *interposita aliqua sententia naturalis sermonis cursus interpellari visus est;* tertia classis ea complectetur, *quae appositionis loco*, quarta *quae ad explicanda insolentiora et peregrina vocabula hebraeae maxime originis ab ipsis apostolis addita esse* videntur, quinta denique, *si quae eam ob causam in dubium vocavit Wassenberghius, quod ad illustrandum paulo sint in difficilioribus.*

Quae partium descriptio si nullum aliud, hoc tamen habebit commodi, ut exempla a Batavo cumulata in ordinem quendam redigantur, certe haud deteriorem illum, quam quem adversarius instituerat specie duntaxat multiplicis glossas generis statuendo, revera autem omnia commiscendo et perturbando. Ceterum tametsi, quod meminerim, nihil non eorum attigi, quae alicuius momenti esse videbantur, ma-

ximam tamen partem consulto tum id genus interpretamenta omittenda putavi, quibus nulla est pagina quin contaminata sit, ut ubi τὶς pro εἷς (Wassenb. p. 38.), οἶνος pro ὄξος (p. 34.), ὕδατος ψυχροῦ pro ψυχροῦ (p. 31.), Χριστόν pro Ἰησοῦν (p. 53 sq.), Ἕλλησι pro ἔθνεσι (p. 63 sq.), τοὺς ἰδίους προφήτας pro τοὺς προφήτας (p. 76.) scriptum quidam libri offerunt, tum ea, in quibus tuendis et vindicandis aliorum vidi operam melius doctiusque versatam fuisse.

Cl. I. *Simillimae significationis verba a sacris scriptoribus vel copulantur vel brevi post iterantur.*

Ad Marc. I, 13. ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ observavit *Schulzius*: „Glossis adnumerat (ἐν τῇ ἐρήμῳ) Wassenberghius, sed copiosi scriptoris usu defendi potest.“ Non copiosi solum scriptoris sed totius usu graecitatis, si quidem vera notavi ad Lucae evangel. IV, 23. V, 35. quibus accedat ad Longi Pastoral. II, p. 63. αὐτοῦ — ἐν τῷ ἀγρῷ *Schaeferus* et *Goeller*. ad Thucyd. V, 83. — Ut Luc. I, 27. καὶ πατριᾶς interpretamentum sit vocis οἴκου, tamen utrumque nomen certa nititur librorum manu scriptorum fide II, 4., quem locum silentio transire *Wassenb.* non debuit.— Mirum *Valckenario* Marc. IV, 39. σιώπα, πεφίμωσο displicuisse grandius verbum leniori postpositum, tragicorum praesertim orationi adsueto, e quibus quod scripsit Euripides Hecub. 530. σιγᾶτ' Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λέως· σίγα, σιώπα huc pertinet. Notatu praeterea digna sunt, quae sine offensione dederunt Ari-

stophanes Avv. 1191. Dindorf. ποῖ ποῖ πέτει; μέν' ἥσυχος, ἐχ' ἀτρέμας· αὐτοῦ στῆθ'· ἐπίσχες τοῦ δρόμου, Demosthenes p. 126. v. 22. ἐσίγα καὶ κατεπέπληκτο, Eurip. Hec. 1075. ἴτε, μόλετε, Act. XVIII, 19. μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς, Marc. XIV, 61. ὁ δὲ ἐσιώπα καὶ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. Synonyma, quorum coniunctione tantopere delectatum Paulum esse ostendit *Winer*. ad Galat. I, 12., quanto odio habuerit Batavus, ex eo intelligitur, quod illo ipso loco οὔτε ἐδιδάχθην tanquam praegressorum οὐδὲ παρέλαβον interpretationem repudiavit, ceteroquin recte negatione οὔτε offensus, qua saltem Attici syponyma coniungere non consueverunt. Demosthenis verba sunt in Midiana p. 566. v. 17. οὐδενὸς γὰρ πράγματος οὐδ' ἔργου τοῦτο συγχωρητέον, de quibus haec disputavit *Schaeferus* in Apparat. Demosth. III, p. 449. „πρᾶγμα et ἔργον ut ἰσοδυναμοῦντα ponuntur; idque, quod notandum, in enuntiatione negativa. Videlicet hic etiam synonyma coniunguntur, non disiunguntur: disiungi enim posse synonyma particulis negativis iure mihi videor negasse ad p. 461, 25. οὐδὲ δέδοικα οὐδὲ φοβοῦμαι τὸν μέλλοντα ἀγῶνα p. 579, 6., ut locus scribendus. οὐδαμοῦ — τῶν συνηδομένων οὐδὲ τῶν συγχαιρόντων ἐξητάσθη ibid. v. 18. Nemo Graecorum scripturus erat neque οὔτε δέδοικα οὔτε φοβοῦμαι, neque οὔτε τῶν συνηδομένων οὔτε τῶν συγχαιρόντων." Cf. Tom. II, p. 625. Secus visum cum de aliis locis tum de Gal. l. l. *Winero*, qui quae in Grammat. Part. II. p. 154 sq. praecepit, in tertia sine dubio editione corriget. — 1. Corinth. XV, 52. ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ qui tollere non audet *Wassenberghius* p. 67.

utinam itidem intacta reliquisset Rom. XVI, 18. *διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας*! Quodsi 1. Cor. III, 4. corruptelae aliquid contraxit, unum illud *ἄνθρωποι* ab tot praeclaris membranis exhibitum eam habet faciem, ut non tam videatur interpolationi quam eorum deberi erroribus, qui alterum utrum vocabulum silentio transmiserant. Puto enim Paulum scripsisse *ἄνθρωποι σαρκικοί ἐστε*; librarios vero prioris nominis compendium *ανοι* facili lapsu praetermisisse. Interpretamenti certe speciem nec v. 3. *κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε* habent, nec illud ipsum *ἄνθρωποι*. — Verborum *ἐν μηδενὶ λειπόμενοι* Iacob. I, 4. integritatem abunde tuentur statim subiecta *εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας*. Displicuit *Wassenbergheio* etiam Apocal. I, 16. II, 12. XIX, 15. *ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα*, fortasse quod Hebr. IV, 12. Psalmi CXLIX, 6. Prov. V, 4. et Sirac. XXI, 4. simpliciter legi noverat *μάχαιρα δίστομος* vel *ῥομφαία δίστομος*, nec duo adiectiva uni nomini sine copula adnexa prosariis ita frequenter exciderunt. Nam quod ipse dixit, *ῥομφαίαν δίστομον* eandem prorsus esse atque *ῥομφαίαν ὀξεῖαν*, quamvis affirmanti nemo crediderit. In epistola fortasse fieri potest, ut non perinde admittatur, quod a poetica scriptione neutiquam abhorret. Iam Homerica illa, quae interpretem tam fastidiosum latere vix potuerunt, Iliad. *π*, 801. *δολιχόσκιον ἔγχος, βριθύ, μέγα, στιβαρόν, κεκορυθμένον*, *ε*, 745. *λάζετο δ' ἔγχος βριθύ, μέγα, στιβαρόν*, quibuscum compares et Sophocl. Electr. ad 475. *ἁ παλαιὰ χαλκόπλακτος ἀμφήκης γένυς*, Aeschyli Agam. 212 sq. *δυσσεβῆ τροπαίαν ἄναγνον, ἄνιερον*, Supplic. 111. *πάθεα μέλεα θρεομένα λέγω λαβία βαρία δακρυρρεπῆ ἴηα*

λέμοισιν ἐμπρεπῆ, Sophocl. Oed. Col. 713. Herm. δῶρον εὔιππον, εὔπιωλον, εὐθάλασσον, et quae *Matthiae* in gr. grammat. § 444. 3. collegit, deterrere eum debebant, quo minus illic quidquam novaret, sed nec solutae orationis scriptores complura deinceps adiectiva, quae artissime cum substantivo iuncta vellent, cumulare piguit: Xenoph. Anab. V, 4. 25. δόρατα ἔχοντες παχέα, μακρά, Demosth. Philipp. I. p. 53. ἀθλίων ἀπομίσθων ξένων. Notatis ad Xenoph. Cyrop. I, 4. 21. adde Apocal. XII, 13. δράκων μέγας, πυῤῥός et Marc. XIV, 15. ἀνάγαιον μέγα ἐστρωμένον ἕτοιμον, quibus e verbis exulare critici iusserunt ἕτοιμον, tamquam praegressi participii interpretamentum esset. Sed adiectivum est ex eo genere, quo res effecta designari solet: *ita ut paratum sit* ad nos excipiendos. Plura dedi in Schol. ad Luc. VI, 10.

Magis etiam temerarium est iudicium, quod *Wassenb.* tulit de verbis Tit. III, 1. ὑπομίμνησκε αὐτοὺς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, πειθαρχεῖν, extremum hoc praecedentis verbi scholium esse. Mirum ni sollicitavit etiam καὶ ἐξουσίαις; manifestum est enim ad ἀρχαῖς potissimum ὑποτάσσεσθαι atque πειθαρχεῖν ad ἐξουσίαις respicere. Sed cumulatissime scripsit Paulus etiam paulo post dicendo ἀμάχους εἶναι, ἐπιεικεῖς, πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους — ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς. — v. 8. καλῶν ἔργων προΐστασθαι — ταῦτα ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις — καὶ ἔρεις καὶ μάχας etc. quum tamen acquiescere potuisset in his: ἐπιεικεῖς πρὸς πάντας ἀνθρώπους — ἡδοναῖς (quod nihil differt ab ἐπιθυμίαις, ut ostendi ad Xenoph. Apolog. 16. 19.) — καλῶν ἔργων προΐστα-

αθαι — ταῦτα ἔστιν ὠφέλιμα et καὶ ἔρεις omissis καὶ μάχας. Nimirum valet etiam hac in re, quod in proverbium abiit: *superflua non nocent*, aut potius illud *Pectus facere disertos*. Neque enim raro Paulum videas lingua quamvis balbutiente, ne dicam Sophistarum, at oratorum certe imitari morem, unam eandemque notionem, quo firmius lectorum mentibus infixa haereat, compluribus gemini coloris verbis exprimentium. Sic Rom. I, 29 sqq. ubi nomen πορνεία ob similitudinem vicini πονηρία multo facilius in codicibus omitti potuit, quam temere confingi, quae *Wassenberghii* fuit opinio, paulo post v. 31. ἀσυνέτους loco movendum esse rati, quasi ex seq. ἀσυνθέτους corruptum. Vid. *Winer*. gr. § 49. p. 184. et *Schum*. noster ad Genes. I, 2. p. 6. Ac nulla est codicum, qui addicunt, auctoritas, atque ut plerique libri utramque vocem neglexerint, verissime tamen *Matthaei* ad I, 29. monuit: „scribae negligentes, ut in locis similibus, ubi plura similia cumulantur, alius aliud omittebat.“ Ibidem V, 15. et v. 17. quare Iesu nomen addere apostolus nec voluerit nec debuerit, tanto minus assequor, quanto magis in oculos incurrit, in iterando Iesu Christi nomine cum alibi tum h. l. mirum in modum sibi placere apostolum. Cf. *Gersdorf*. *Beiträge* p. 288 sqq. Hoc cur loco Paulus noluerit? Quis, quo minus faceret, obstiterit? Num forte reliqui apostoli, an christiani, an vero Wassenberghius? *Μὴ γένοιτο*. Contra II, 5. σκληρότης nec eadem est, quae ἀμετανόητος καρδία, et in talibus quam verbosi Iudaei fuerint, vel Act. VII, 51. docere poterit. Ut autem Petrus I. Ep. IV, 3. οἰνοφλυγίαις, κώμοις, πό-

νοις coniunxit, ita Euripidem memini Medeae v. 189. Elmsl. canere ἐπὶ μὲν θυλίαις, ἐπί τ' ἐλαπίναις καὶ παρὰ δείπνοις, atque ad infinitivum illum πειθαρχεῖν in Ep. Tit. III, 1. defendendum possem afferre Arriani Dissertat. IV, 12, 11. Ἐγὼ δ' ἔχω τίνι με δεῖ ἀρέσκειν, τίνι ὑποτετάχθαι, τίνι πειθαρχεῖν, IV, 4, 33. ἐδούλευσας, ὑπετάγης, κωλυτὸς ἐγένου, ἀναγκαστὸς, ὅλος ἐπ' ἄλλοις, vel etiam Xenophontem ἕπεσθαι καὶ πείθεσθαι copulantem in not. ad Memorab. II, 2, 11., nisi ad instar omnium esset *Bremii* adnotatio Demosth. Apparat. I. p. 320, cui hanc clausulam apposuit *Schaeferus*: „Ceterum vel tacente me intelligitur, omnia illa non esse vere synonyma. Usus autem eorum est duplex: gravior alter, ut vim concilient orationi, alter levior, ut vel aures expleant, vel numeros reddant iucundiores.“ Prior ratio fere in his libris praevalet, quam invitis codicibus necquidquam theologi vel impugnare conabuntur vel oblitterare. Ut pauca de multis afferam, Lucas dedit XXI, 28. ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλάς, v. 34. ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, Act. XIII, 11. ἀχλὺς καὶ σκότος, Marc. XIV, 68. τρόμος καὶ ἔκστασις, Ephes. I, 21. ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, VI, 18. προσευχὴ καὶ δέησις, Apocal. XX, 13 sq. ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης, qualibus quidni verborum Marc. XIV, 1. τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα suscipiamus patrocinium? Certe minori haec illis possunt offensioni esse hebraeo simul et graeco nomine coniuncto, in quo utroque verbosius afferendo Lucae quoque diligentia versata est XXII, 1. Nec satis scio an ter repetita ἀββᾶ, ὁ πατήρ simili ratione tuear Gal. IV, 6. Rom. VIII, 15. et Marc. XIV, 36. Transierunt talia ex

Hebraea in graecam linguam, ita ut qui solenni appellationi ἀββᾶ assueti essent, ne tum quidem quum graece loquerentur, solitae immemores essent formulae. Quicunque in terris vitam peragunt, in quibus duae simul linguae in usu sunt et ore hominum, hi videant ne hodieque similem dicendi luxuriam deprehendant. Nunc ipsum in mentem mihi venit loci Iohannei II, 23. ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ, Act. XIII, 8. Ἐλύμας, ὁ μάγος et nominis Φαραώ, quod etsi Iosepho teste Ant. Iud. VII, 6, 2. lingua Aegyptia *regem* significat, nec non centies hoc sensu simpliciter in Genesi usurpatur, tamen סֶלֶךְ־מִצְרַיִם βασιλεὺς Αἰγύπτου abundanter additur XLI, 46. XLV, 21. XLVII, 6. indeque in Act. VII, 10. Xerxis nomen sunt qui *Regem Leonum* significare iudicent (v. *Rosenmueller. Handbuch der biblischen Alterthumskunde* Vol. I. P. I. p. 375), neque tamen Aeschylus Pers. v. 5. scribere dubitavit αὐτὸς ἄναξ Ξέρξης βασιλεύς. Vid. *Porson.* et *Schaefer.* ad Euripidis Orest. 342. In libro, qui habet titulum *das Vater unser* ed. Lips. 1823. leguntur p. 94. 53. haec: Iehovah Zebaoth, *du Gott der Götter!*

Sed revertor ad alia verbositatis exempla, quae sine temeritatis crimine nemo tentaverit: Marc. XIV, 68. οὐκ οἶδα, οὐδὲ ἐπίσταμαι, XVI, 8. πενθοῦσι καὶ κλαίουσι, Luc. VI, 38. μέτρον καλόν, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον, Marc. XV, 19. τιθέντες τὰ γόνατα προσεκύνουν (Eurip. Androm. 166. πτῆξαι ταπεινήν, προσπεσεῖν τ' ἐμὸν γόνυ), XVI, 2. λίαν πρωὶ — ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, Ephes. IV, 14. κλυδωνιζόμε-

νοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ et v. 16. συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, Act. XXVI, 14. φωνὴν λαλοῦσαν — καὶ λέγουσαν, Luc. XII, 15. ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε, Act. XIII, 11. ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον, ubi *Valckenarius* „Talia, inquit, his in Libris omnino non sunt vituperanda, quum reperiantur ap. quosvis scriptores optimos.“ Eurip. Herc. fur. 1367. ὁ φύσας χὠ τεκὼν ὑμᾶς πατήρ *), Aeschyli Agam. 88. Πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων, ὑπάτων, χθονίων, τῶν τ' οὐρανίων, τῶν τ' ἀγοραίων, quem ad locum consules *Wellauerum*, Aeschines Orat. adv. Ctesiph. 29. ὁρώντων, φρονούντων, βλεπόντων, Timarch. 29. ed. *Bremi* ὅπου ἔπραττεν, ὅπως ἐποίει ἢ τίς εἶδεν ἢ τίς ἦν ὁ τρόπος, Plat. Protag. p. 358. D. (p. 154 Stallb.) δέος καὶ φόβος, Criton. cap. VI. πρεσβεύω καὶ τιμῶ (Pollux Onom. II, 12. πρεσβεύειν τὸ τιμᾶν παρὰ Πλάτωνι) cl. *Stallbaum*. p. 116., *Schaefer*. Apparat. Demosth. II, p. 391. δύνασθαι καὶ ἰσχύειν, p. 560. τί γέγονεν — καὶ τί συμβέβηκε, p. 561. ἀρετῆς — καὶ δόξης et ἐχθρὸν — καὶ πολέμιον, p. 613. παραπλήσιον — καὶ ὅμοιον, Tom. III. p. 295. φυλάττετε καὶ μέμνησθε, p. 298. κίβδηλον καὶ ἄπιστον, p. 477. οὐδὲ δέδοικα οὐδὲ φοβοῦμαι, p. 493. ζώντων καὶ ὄντων, Tom. V. p. 667. δικασταὶ καὶ κριταί. Adde *Winer*. gr. Part. II. p. 191. Apparet igitur veteres scriptores, etiam elegantissimos, talia

---

*) Euripidis verbis non maiorem habent molestiam ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς Iudae v. 15. usurpata, quo in loco multus est in impiorum poena describenda. Praeterea compara Eurip. Troad. 91. θανόντων νεκρῶν ibique *Seidler*. Aeschyli Eumenid. 69. γραῖαι παλαιαί, Homer. Odyss. τ', 346. γρηῦς παλαιή, Eurip. Hec. 523. λεκτοί τ' ἀχιῶν ἔκκριτοι νεανίαι.

admisisse, qualia in sacris literis iniuria bilem commoverunt *Wassenberghio*, et admisisse quidem invitis viris sapientissimis viros sapientissimos. Sic, ut hoc utar, apud Aristophanem in Ran. 1166 sqq. *Dindorf*: Euripides Aeschylum carpit propterea, quod ineuntibus Choëphor. dixisset *ἥκω γὰρ ἐς γῆν τήνδε καὶ κατέρχομαι*, atque *κλύειν, ἀκοῦσαι*. Ex Euripidis enim sententia *ἥκω δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι* et *τοῦτ' ἕτερον αὖθις λέγει, κλύειν, ἀκοῦσαι, ταὐτὸν ὂν σαφέστατα*. Iudex ambobus assidet Bacchus, Euripidis iudicium his verbis confirmans:

νὴ τὸν Δί', ὥςπερ γ' εἴ τις εἴποι γείτονι,
χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει, κάρδοπον,

neque vero ita se excusat Aeschylus, ut Baccho satisfecerit, v. 1180. affirmanti *ὅ τι λέγεις δ' οὐ μανθάνω*. Nimirum si verum est, quod Christus dixit, esse inter homines, qui *ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπουσι, καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούουσιν*, hodie quoque, cur tam similia apostoli aliique scriptores concinnaverint, quaerentibus cum Baccho respondeas:

τεθνηκόσιν γὰρ ἔλεγον, ὦ μόχθηρε σύ,
οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.

Vid. Commentar. in Aristophanis Comoed. Vol. III. p. 283 sqq. ed. Lips. „Congregantur quoque (verba sunt Quinctiliani Inst. Orat. IX, 3, 45.) verba idem significantia: *Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti: egredere aliquando ex urbe: patent portae: proficiscere.* Et in eundem alio libro: *Abiit, excessit, erupit, evasit.* Hoc Caecilio *πλεονασμὸς*

videtur, i. e. abundans supra necessitatem oratio *): sicut illa: *Vidi oculos ante ipse meos* (Virgil. Aeneid. XII, 638.). In illo enim *vidi* inest *ipse*. Verum id, ut alio quoque loco dixi, cum supervacua oneratur adiectione, vitium dicitur: cum autem auget manifestam sententiam, sicut hic, virtus etc." Praeterea lectu haud indigna sunt, quae in eandem rem disputavit *Cic.* Orat. c. 40. Herenn. IV, 45. 42. *Gellius* N. A. XIII, 23. et ad Ciceronis Orat. Catilin. II, 1. *Matthiae:* Coacervatio autem verborum idem significantium signum est animi laetitia exsultantis et dubitantis, quo verbo aptissime sensa sua exprimat." Quibus examinatis et perpensis omnibus non dubitandum, quin aliorum, quae scripsit, *Wassenberghium*, siquidem in vivis est, poeniteat, alia facilius ferenda putet, melius interpretando partem emolliat, commoto denique ac fervido scriptorum animo alia condonet. Huc velim trahatur etiam locus Act. XXVI, 4. *Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου τὴν ἐκ νεότητος, τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου ἐν Ἱεροσολύμοις*, ex quo *τὴν ἐκ νεότητος* W. expungi iussit, velut eorum, quae sequuntur, *τὴν ἀπ' ἀρχῆς* glossema. Eodem iure quis *ἐν τῷ ἔθνει* abiecerit, quae verba insunt in *ἐν Ἱεροσολύμοις*, utrumque opinor, temere. Quum enim Paulus Tarsi in Cilicia natus esset XXII, 3. sed educatus Hierosolymis,

*) Adverte in latino scriptore interpretationem eis similem, quas reiecit *Wassenb.* Dissertat. I. p. 16 sq. Cicero lib. de Inventione II, 23, 69. Accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Graeciae concilium. Cf. cap. 32. § 69.

non potuit non corrigere, quae dixerat, atque tempus, ex quo in urbe degerit, accuratius designare. Haud aliter in subsequentibus a populo transit ad urbem. — Ep. ad Phil. III, 9. omnia haec τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, quoniam nihil quidquam afferant praeter id, quod iam dictum fuerit, interpretis esse dicuntur, quasi vero per se intelligatur, probitatem per fidem in Christum partam non aliunde quam divinitus proficisci posse. Imo tantum abest, ut suam sibi ipsi probitatem Paulus debeat, ut eam soli fidei in Christo positae, quod divinum sit beneficium fidei destinatum, adscribat. — Illustrandi gratia qui Act. III, 1. margini adiectum esse τὴν ἐννάτην credulis persuasurus erat, vereor, ne non satis apud animum perpenderit, alia fuisse coenae tempora, alia thuri adolendo constituta. De tribus autem horis, quas Iudaei precibus faciendis consecraverant, quotam h. l. Apostolus in animo habuerit, ni ipse indicavisset, nemo divinando assequuturus fuisset. — Nulla opus est mutatione Ephes. IV, 16. πᾶν τὸ σῶμα — τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος, modo ne improbes *Grotii* interpretationem observantis: „secundo loco τοῦ σώματος dixit pro ἑαυτοῦ, i. e. nomen repetit, ubi alius posuisset nomen reciprocans.“ Quae repetitio eiusdem nominis ne ibi quidem quidquam habet insolentiae, ubi alterum statim ab altero excipitur, ut in Xenophontis Anabas. III, 2, 23. οἱ βασιλέως ἄκοντος ἐν τῇ βασιλέως χώρᾳ — οἰκοῦσιν, nedum ubi interiectis aliis perspicuitatis ratio, ut primarium substantivum repetatur, efflagitat. Vid. *Winer*. gr. Part. II. p. 52. 3. nostra ad Anab. l. l. et ad VI, 4, 2.

et *Poppo* Elocut. Thucyd. p. 164 sq. Est etiam ubi idem aut simile verbum non sine gravitate quadam iteretur: cui generi adscripserim Marc. V, 15. *θεωροῦσι τὸν δαιμονιζόμενον — τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα*, quorum posteriorum plures interpretes adeo pertaesum est, ut diutius in contexta oratione negarent toleranda esse. At persimilem tamen habemus in re persimili participii *τὸν τεθεραπευμένον* usum Act. IV, 14. *τὸν δὲ ἄνθρωπον βλέποντες σὺν αὐτοῖς ἑστῶτα, τὸν τεθεραπευμένον*, Luc. VI, 8. *εἶπε τῷ ἀνθρώπῳ, τῷ ξηρὰν ἔχοντι τὴν χεῖρα* cll. Ioh. IX, 13. 18. de quibus infra dicetur. Neque diversa est ratio additamenti in Act. XIX, 16. *ἐν ᾧ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ πονηρόν*, de quo non minus quam de ceteris valere arbitror, quod *Schaeferi* verbis afferam ad Demosth. p 426. v. 15. *οἱ προδιδόντες — τοῖς προδιδοῦσιν* prolatis: „Tales repetitiones tantum abest ut onerent orationem, ut eius vim augeant.“ Sic, ut hoc utar, Ephes. II, 5. 8. *χάριτί ἐστε σεσωσμένοι* quis sine ulla vi dicat geminari? In Eumenidibus quum scripsisset Aeschylus v. 94. *ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν — ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται*, statim ad resecanda priora *Bothius* paratus est, sed Bothianam crisin, quam sibi licere putavit Batavus, caveant theologi ne nolentem in sacros quoque libros intrudant!

Ab iis, quae adhuc tractavimus, proxime absunt verba Ep. Philipp. II, 2. *ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε — τὸ ἓν φρονοῦντες*, quorum causa lectores ad *Tittmanni* Spec. IV. Lexici Synonym. p. 7 sq. tanto confidentius ablegare possum, quanto vir summe venerabilis, quid inter *τὸ αὐτὸ φρονεῖν* et *τὸ ἓν φρονεῖν* discriminis

intercedat, doctius et sagacius exposuit. Ne quis vero in φρονοῦντες haereat post φρονῆτε illato, ab hac redundantia, si qua est, ne tersissimi quidem scriptores abhorruerunt. Vid. not. ad Cyrop. V, 1, 1. VI, 1, 4. et Matthiae § 558. Porro nihil plane nec impedimenti habent nec insolentiae a *Wassenb.* tentata Phil. I, 15. τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν et v. 16. τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν. Similiter variat Xenophon Cyrop. I. 5, 5. Ἔδοσαν δὲ αὐτῷ καὶ προςελέσθαι — ἔδοσαν προςελέσθαι — ἔταξαν — προςελέσθαι, Sophoclis Oed. Col. 1562 sqq. φασὶ — λόγος αἰὲν ἀνέχει illustravit *Reisig.* Commentat. crit. p. 387. Lysiae Orat. XII, 48. μηνύουσιν — εἰςαγγέλλουσι, XXXII, 25. ἔλεγε — ἔφασκεν. Haec exempla *Foertschii* industriae accepta refero plura collecta habentis in Observatt. critt. ad Lysiae Orat. p. 9. — Ab quavis corruptelae suspicione liberandi sunt etiam versus Ioh. VII, 8. ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην· ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, Rom. VIII, 21. ἡ κτίσις illata post idem nomen v. 20. lectum, ibid. XI, 9. εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν, quae verba memoriter excitavit apostolus cum ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ I. Cor. XV, 52. componenda et Luc. II, 42. ἐπορεύοντο — εἰς Ἱερουσαλήμ — ἀναβάντων αὐτῶν εἰς Ἱεροσόλυμα — ὑπέμεινεν — ἐν Ἱερουσαλήμ, ubi iussu codicum BDL post alios verba εἰς Ἱεροσόλυμα expungenda censuit *Wassenb.* Verum talia omittuntur facilius, quam adduntur, quum praesertim forma displicere potuerit in Evangelio vix ter usurpata, in Actis tamen frequentata. Inspectis librorum manu exaratorum discrepantiis non diffiteor fieri potuisse, ut, si Iohannes X, 12.

ipse scripsisset ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ καὶ σκορπίζει, interpretandi pronominis causa quidam τὰ πρόβατα margini allinerent, unde iniquo posthac loco substantivum invectum fuerit. Sed ne vulgata quidem habet, in quo quis iure haesitet, quandoquidem elegantissimi scriptores, ubicunque nulla ambiguitas oriri potest, pronomen demonstrativum loco priore, quam nomen ipsum, ad quod illud refertur, collocare consueverunt. Exempla ipse attuli ad Xenoph. Conviv. VIII, 34. p. 210. Omnium minime autem vereor, ne quis cum *Br. Broesio* quodam, quem antestatur *Wassenb.*, tum αὐτά tum τὰ πρόβατα textis eiiciendum suadeat. Porro aptissime locum suum tuebitur illud τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ Ioh. XXI, 12. in narrationis praesertim clausula, cuius initium v. 1. habetur. Nulli vero libri consilio *Wassenberghii* favent verborum εἰς τὸ πλοιάριον Ioh. VI, 22. e medio tollendorum, quo nihil equidem vidi audacius. Similium repetitionum quod satis est habent *Winer.* gr. P. II. p. 191 sq. *Wellauer.* ad Aeschyli Choëph. v. 236. *Boeckh.* ad Pindari Olymp. II, 68. XI, 73. *Brunck.* et *Lobeck.* ad Soph. Aiac. 1060. *Schaefer.* ad Dionys. de Compositione p. 15. 366. *Foertsch.* Commentatio crit. p. 28 sq. et cf. Marc. VIII, 35. Matth. XVI, 25. Luc. IX, 24. Ioh. IV, 9. XIX, 10. Marc. XVI, 12.

Non unum *Wassenberghium* exercuerunt haec Matthaei XXVIII, 9. ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ membro v. 8. ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ subiecta, idque eo magis, quod codicibus absunt auctoritatis non contemnendae. Equidem defenderim et iis, quae ad stabiliendam vulga-

tae integritatem *Griesbachius* contulerat, et geminae simplicitatis auctoritate, quam velim observes Ioh. XVIII, 36. ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου· εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμή etc. I. Cor. XV, 53. Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν· ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν etc. imprimis in Xenoph. Cyrop. II, 1, 1 sq. Κῦρος δὲ εἰς Μήδους πρὸς Κυαξάρην ἐπορεύετο· ἐπεὶ δὲ ἀφίκετο ὁ Κῦρος εἰς Μήδους πρὸς τὸν Κυαξάρην, VIII, 4, 30. καὶ οὕτω πάντες εἰλήφεσαν τὸ δίκαιον μέρος· ἐπεὶ δὲ εἰλήφεσαν τὰ τότε δοθέντα. Cf. ibi notata et ad Memor. IV, 3, 17. Quae cum ita sint, vereor ne paulo calidius scripserit *Schulzius:* „quam molesta eorundem verborum videatur iteratio.“ Mihi saltem non modo non molesta accidit, sed orationi passim videtur splendorem quemdam (*eine gewisse Feierlichkeit*) conciliare.

Pervenimus ad eos locos, qui de glossemate propterea suspecti habentur, quia voculam ἤ in fronte gerant. Cui interpolationis generi si quis miretur tam multa. *Wassenberghium* attribuisse, mihi quidem, fateor, minime liquet, qui factum sit, ut aliquanto plura eodem referenda silentio plane suppriméret. Quod nisi fecisset, dubitare noli, quin brevi intellexisset, eiusdem rationis tantum in scriptura s. reperiri numerum, ut vel audacissimos ab ulla mutatione facile absterreat. Satis tamen habeo, quae V. D. impugnavit, quam fieri potest paucissimis recensere atque erroris convincere. Ac primum quidem

negat Lucae esse Act. X, 14. 28. πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον et μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον ib. XI, 8. atque Marci VII, 2. κοιναῖς χερσί, τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις. Sed qui quater interpretamentum adnexuisse dicuntur, cur iidem intactum reliquerunt Rom. XIV, 14? Marcus autem, quoniam verendum erat, ne quis verba κοιναῖς χερσὶν ἐσθίειν in alienum sensum aut de impuris cibis, quos comedissent, aut de delicto aliquo, quod commisissent apostoli, accipienda putaret, non potuit non cavere, ne de alia quapiam re lectores cogitarent, quam de manibus immundis illotisque. Quae ratio tam gravis scriptori visa est, ut neutiquam κοινόν vocabulum, sed unum illud ἀνίπτοις in sequentibus illustraret. Nimirum ita demum subdola Pharisaeorum interrogatio v. 5. rite ab unoquoque lectore intelligi potuit. In ceteris plerisque idem perspicuitatis et verbositatis studium velim agnoscas, quod cum Graecis omnibus scriptores sacros commune habuisse supra demonstratum est. Saltem haec explicatio simplicior est, quam si quis subtile quidem at non raro tamen improbabile discrimen inter verba iuxta se posita excogitaverit. Sic Lucas IX, 25. ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας ἢ ζημιωθείς, Act. X, 28. κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, Rom. I, 21. ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν, XIV, 13. πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον, v. 21. προσκόπτει ἢ σκανδαλίζει, ἢ ἀσθενεῖ, II. Cor. IX, 7. μὴ ἐκ λύπης, ἢ*) ἐξ ἀνάγκης, quae mira fuerit priorum ἐκ λύπης interpretatio; non enim hilari dat

*) Pro ἢ quod habent Slav. Chrys. et Matthaei codd. 6. 9. μηδέ non minus reiiciendum est, quam μηδὲ ἄβας. apud

animo, qui coactus dat, Gal. I, 10. ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; Haec omnia Batavus auctor est ut inutili additamento liberentur, nescio an eorum oblitus, quibus eius copias ditari placet: Luc. XXI, 15. ἀντιστῆναι ἢ ἀντειπεῖν, Act. XVIII, 14. ἀδίκημά τι ἢ ῥαδιούργημα πονηρόν, XIX, 12. σουδάρια ἢ σιμικίνθια, I. Cor. XIV, 23. ἰδιῶται ἢ ἄπιστοι cl. v. 24., Ephes. V, 4. μωρολογία ἢ εὐτραπελία. Neque enim a me impetrare possum, ut adulterinum talibus pannum adhaesisse credam, quippe qui videam Demosthenem haud uno loco scripsisse ὅμοια ἢ παραπλήσια, ita ut fortius praecedat, sequaturque lenius. „Nos, inquit *Bremius* in *Schaeferi* Apparat. I. p. 322., non uteremur particula καί sed ἢ καί, *oder auch nur*." Id quod et illis locis apprime accommodatum est et Matth. XII, 25. XVIII, 8. Luc. XII, 14. Act. IV, 34. Gal. III, 15. Cf. *Schaeferus* etiam T. II. p. 263. et *Creuzer*. ad Plotin. de Pulcrit. p. 236. Fortasse eodem pertinet Matth. XVII, 25. τέλη ἢ κῆνσον, nisi forte rectius cum *Fritzschio* statuas alterum de vectigalibus, alterum de capitum exactione intelligendum esse. Sana esse omnia Gal. V, 15. nec κατεσθίετε ullam glossae speciem habere ad δάκνετε adscriptae, appareat ex Aristoph. Eqq. 498 sq. Dind. μέμνησό νυν δάκνειν, διαβάλλειν, τοὺς λόφους κατεσθίειν, quae non sine verecunda quadam translatione dicuntur aeque atque apud Paulum, cuius loci intelligentia non ma-

---

Themistium in Epist. Const. p. 22. C. ὅτι μηδὲν ἀνεξέταστον ἢ ἀβασάνιστον παραλιμπάνω, quorum integritatem verborum tutatus est *Iacobsius* ad Philostrati Imag. p. 373 sq.

***

gis latuit *Winerum*, quam verborum φθόνοι, φόνοι ratio v. 21.

E contrario Matth. XI, 8. et Luc. VIII, 25. dubito an ab *Wetstenio* collecta *Wassenberghium* permoverint, ut ἀμφιεσμένον delere in animum inducerent, quod verbum cum ἐν μαλακοῖς ἱματίοις constructum cur minus exquisitum sit, quam omisso participio ἄνθρωπος ἐν μαλακοῖς ἱμ., causam idoneam non exputo. Auctor Apocal. III, 4. licet scripserit περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς, nihil tamen virum doctum offendit IV, 4. καθημένους, περιβεβλημένους ἐν ἱματίοις λευκοῖς, ac durius multo participium adnexuit Xenophon Cyrop. I, 6, 33. σὺν τοιούτῳ ἔθει ἐθισθέντες, Anab. V, 1, 9. κατὰ μέρος μεριαθέντες, et Cyrop. VIII, 1, 38. τὰ ἐν τοῖς παραδείσοις θηρία τρεφόμενα, alibi praetermisso participio, ut I, 3, 14. τὰ νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία. Platonem quoque τετρημένῳ adiicientem defendit *Heindorf.* ad *Gorg.* p. 159.

Illud certe ne dubites, quin de lana caprina propugnet, qui Hebr. XI, 37. haec ἐν αἰγείοις δέρμασιν pro interpretamento verborum ἐν μηλωταῖς habuerit. Vid. *Henrici Stephani* Thesaur. p. 11136. A. ed. Londin.

Cl. II. *Interposita aliqua sententia naturalis sermonis cursus interpellari visus est.*

Apud Graecos haud ita raro factum esse videmus, ut parentheses ante verba, quibus illustrandis inserviunt, aut alio quopiam iniquiore etiam loco inferrentur. Cuius rei ad Xenoph. Cyrop. II, 2, 13.

IV, 2, 25. a me commemoratae ignoratio haud paucos in errorem abripuit, ac si Matth. IX, 6. membrum τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ aliunde in textum irrepsisset, ad quod nemo fortasse offendisset, si Matthaeus post ἁμαρτίας perrexisset σοὶ λέγω (τότε λέγει τῷ παρ. h. e. *hier spricht er zu dem Kranken.* Cf. annot. ad Xenophont. Conviv. p. 52.) ἐγερθεὶς etc. Marcus II, 10. et Lucas V, 24. quoniam interpositioni statim subiecerunt σοὶ λέγω, ab ulla corruptela vacui esse putandi sunt, Matthaeus vero omissa parenthesi neque eodem quo Lucas V, 14. modo ab obliqua ad directam orationem dilapsus esset, et prope intolerabilem duritiem admisisset oratione modo ad Pharisaeos, modo ad aegrotum tacite conversa. Post loquendi autem formulam ἵνα εἰδῆτε quam saepe λέγω vel simile aliud vocabulum supprimatur, perspici arbitror ex Cyrop. VIII, 2, 23. Ὅπως δὲ καὶ τοῦτο εἰδῇς, ἔφη, ὦ Κῦρε, ἐγὼ οὐ τοὺς πλεῖστα ἔχοντας καὶ φυλάττοντας πλεῖστα εὐδαιμονεστάτους ἡγοῦμαι et Eurip. Phoeniss. 1011. Pors. ὡς οὖν ἂν εἰδῆτ', εἶμι καὶ σώσω πόλιν. Adde quod λέγει loquentium verbis, ut ἔφη, intersertum in sacris litteris caret insolentiae crimine. Sed vulgatae patrocinatus est etiam *Fritzschius* ad Matth. p. 338.

Lucae dum vitio a multis datum est, quod VII, 29. sqq. disertis verbis non tradiderit, Iohannem iam in vinculis fuisse, non liquet *Wassenberghio*, quo animo Iohannes III, 24. οὔπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν ὁ Ἰωάννης addiderit, nempe ut quam brevissime testaretur, vera esse quae ceteri de Iohannis custodia narrassent, Christumque eodem, quo

Iohannem, tempore cultores suos sacro lavacro initiasse. „Ostendit (*Grotii* verbis utor) quod diximus, eas hic a se res narratas, quae Iohannis captivitatem antecesserunt, quum ceteri miraculorum Christi inde ferme initium faciant.“ Observavit quidem Belga doctissimus, tum h. l. tum Ioh. XIX, 31. γάρ particulam scholii notam prae se ferre, sed hac opinione quod perversius esset, nondum me vidisse fateor. Enimvero quanam alia coniunctione utendum fuisse scriptoribus existimaverit, nisi ea, cuius paene unius proprium est dictorum rationem reddere? Quanquam ad Ioh. IV, 9. οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις ab eodem adnotatum est: „Non reperiuntur ista in *Cantabr. Cod.* videntur que omnino serioris aevi annotatio.“ Reponam, quidni paulo ante simpliciter scriptum fuerit: πῶς σὺ παρ᾽ ἐμοῦ πιεῖν αἰτεῖς? Sed quis demonstret, iis omnibus, qui Iudaei non essent, talia scitu non fuisse necessaria? Cf. Genes. XLIII, 32. XLVI, 34. Nihili est quod contra integritatem membri ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡς εἰ ἕκτη Ioh. XIX, 14. vir doctus disputavit, quippe post Venemam observans, probato eo narrationis interrumpi seriem, neque apparere, huc quid faciant. Adhuc enim nullam vidi parenthesin, quae sermonis non interrumpat filum, atque cum ceteri evangelistae omnes temporis nota, quo condemnatus Christus sit et mortuus, significaverint, eccui probabile est, Iohannem solum hac de re tacuisse? Ceterum ad finem properans Iohannes, non dubium est, quin Christum voluerit circa sextam diei horam condemnatum atque post aliquod tempus mortuum esse: id quod non ita multum ab cetero-

rum testimoniis abludit. Ut ut est, minime ea quae inter se optime convenerunt, verum si qua inter se dissentire vidissent, mutare, corrigere et componere studuerunt lectores antiqui, quos grammaticos vel interpretes vocare solemus. Omnium audacissima eiusdem viri est opinio, qua versum 31. e marginali glossa originem trahere statuit: *adest certe*, inquit, *Glossae indicium γάρ.*"

Nativo orationis colori aliquantum sane detrahetur sublatis, qualia impugnavit glossarum amantissimus, Ioh. VI, 8. verbis *εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ*, quibus non minus supervacua sunt ibidem subiecta: *ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου.* Hoc eodem enim nomine Andreas etiam I, 41. appellatus fuerat. Similiter Philippus, etsi per totum evangelium ab alio quodam Philippo non distinguendus, tamen I, 45. et XII, 21. Bethsaida oriundus esse dicitur, atque Iudas Iscariota, qui secundum I, 71. *ἤμελλεν αὐτὸν παραδοῦναι, εἷς ὢν ἐκ τῶν δώδεκα*, rursus XII, 4. *λέγει ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ — ὁ μέλλων αὐτὸν παραδιδόναι* cl. XIII, 2. neque XVIII, 2. non audit *Ἰούδας, ὁ παραδιδοὺς αὐτόν*, ut v. 5. Haud impari ratione in Xen. Cyrop. I, 5, 2. et 4. Cyaxaris nomini adiiciuntur *ὁ τοῦ Ἀστυάγους παῖς*, tametsi qui fuerit Cyaxares, lectorem non magis lateat, quam Cambysis dignitas non aliter ibidem §. 4. designati, ac si eius mentio nondum usquam iniecta fuisset. De Assyriorum rege cf. eiusdem libri II, 1, 5. et I, 5, 2.

Quo minus moraberis opinor interiecta verba Ioh. XIV, 22. *οὐχὶ Ἰσκαριώτης*, quibus cavere evangelista voluit, ne cum proditore alter Iudas, Iacobi

filius, confunderetur, idque eo magis, quod *Grotio* monente de Iscariota ante loquutus erat. Ad Matth. III, 4. αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης adnotantur haec: „Etiam hoc, ὁ Ἰωάννης, inter Glossas retulit *Venema*, teste *Verschuirio* in Opusc. post. p. 359. Sane a multis abest libris scriptis, neque ad sensum eo indigemus.“ Laudari video ab *Wetstenio*, *Griesbachio*, aliis, qui articulum ὁ neglexerint, sed ὁ Ἰωάννης quinam libri scripti, quos multos dixit *Wassenb.*, non repraesentaverint, frustra circumspicio. — De additis Act. XVIII, 17. οἱ Ἕλληνες, quae perpaucis absunt codicibus, temerarium est prius iudicare, quam quis ad h. l. *Grotium* refutaverit. Idem W. etiam ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου Iud. 1. in dubitationem vocavit, iterene an iniuria, non poterit eis ambiguum esse, qui in tam paucis reliquiis, quae Iudae nomen gerunt, de huius scriptoris nescio qua consuetudine agi posse negant. — Praeter consuetudinem copiosus *Wassenb.* in impugnando additamento longe innocentissimo I. Thessal. II, 18. ἐγὼ μὲν Παῦλος: „Haec verba, inquit, Parenthesios notis inclusa locum reddunt abruptum, nec, si quid video, *Paulum* habent auctorem. Usus ille fuerat numero plurali, ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρ. ὑμ. Inde Lectorum aliquis, sollicitus, ne ad *Timotheum* quoque illud traheretur, quem tamen iam antea missum narrat Apostolus Cap. III, textui adiiciendum putavit quod omne dubium tolleret. Recordari ille potuerat, Paulum saepe pluralibus uti, etiam quando de se solo loquitur.“ At tam stulti non erant illi lectores, qui in textis interpretandis versati sunt, ut aut istiusmodi pluralem ignorarent, aut sequentia non ante inspi-

cerent, quam verbum immutarent adscriberentque. Imo dicturus Paulus ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, ἐγὼ μὲν Παῦλος, Τιμόθεος δέ *), in causa exponenda, quare Timotheum ipse non sit comitatus, ab incoeatae orationis filo delapsus se quidem Athenis remansisse, sed Timotheum ad Thessalonicenses misisse ait cap. III, 1. sqq. Contra Rom. VII, 18. ἐν ἐμοὶ (τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου) interpositio idcirco deleri nequit, quia secundum Pauli disputationem in homine inest et peccatum (ἡ ἁμαρτία) et recte agendi voluntas, illud videlicet in carne (ἐν τῇ σαρκί), haec in animo (ἐν τῷ νοῖ v. 25.). Quodsi nihil nisi οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ ἀγαθόν dedisset, non solum recte agendi voluntatem, quam statim homini adscribit (τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι), boni aliquid esse negasset, sed etiam contra quam v. 25. patitur, mera hominem carne merisque peccatis compositum esse affirmasset. Non minus necessaria est Hebr. II, 14. verborum τοῦτ' ἔστι τὸν διάβολον adiectio. Unde enim lectoribus cognitum fuisse putabimus, intelligi diabolum? Thalmudem ut Hebraei omnes in manibus habuerint, at quomodo ceteri lectores divinare potuerint, de diabolo, non de alia quapiam re vel persona cogitasse apostolum? Accedit causa rhetorica haec, quod diaboli mentio legentium animos sine dubio magis commovet terretque, quam ὁ τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου **). Apocalypsis auctor quum XII, 9. scripsisset ὁ δράκων ὁ

*) Plene scriptum in Luciani Toxar. c. 10. διηγησάμενοι, ἐγὼ μὲν τὰ Σκυθικά, σὺ δὲ τὰ Ἑλληνικά.

**) II. Timoth. I, 10. Christus itidem dicitur καταργήσας τὸν θάνατον, sed secundum inscriptionem christianam, in Nu-

μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, tamen infra XX, 2. non sine vi repetiit ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι διάβολος καὶ σατανᾶς. Obmoventibus denique usitatam scholii notam τοῦτ' ἔστι iure responderi poterit, ingentem locorum nubem ab uno *Wahlio* Clav. I. p. 394. coactorum luce clarius ostendere, explicationes istas, quae formulas τοῦτ' ἔστιν, ὅ ἐστιν praefixas habeant, aut ipsis scriptoribus aut interpretibus ad unum omnes acceptas referri. Cf. Hebr. VII, 5. IX, 11. X, 20. XI, 16. XIII, 15. Rom. IX, 8. X, 6. sqq. Philem. 12. et infra Class. IV. Ad I. Ep. Petr. III, 20. τοῦτ' ἔστιν ὀκτώ quae *Wassenb.* animadvertit: „Glossam esse credo; nam si numerum definire voluisset *Petrus*, modo non dixisset ὀλίγαι ψυχαί" quid sibi velint, eo minus assequor, quia dedit apostolus: εἰς ἣν ὀλίγαι τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν. In locis interpolatis numerat ille etiam *Bentleio* aliisque praeeuntibus, quae leguntur Gal. IV, 25. Σινὰ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, quorum de integritate veraque interpretatione neutiquam desperandum esse ex *Wineri* commentario ad l. l. discat vir doctus, qui suo Marte neque eo faustoy si quid video, sollicitavit

Ephes. V, 14. ubi ad διὸ λέγει quid opus est suppleatur ἡ γραφή? Quod verba statim ab apostolo laudata nusquam in scripturis sacris habentur, quid

---

bia detectam Deus est ὁ τὸν θάνατον καταργήσας καὶ ᾅδην καταπατήσας. Vid. *Letronne* Analyse critique du recueil d' inscriptions Grecques. Paris. 1828. p. 14. et *Iahn.* „*Iahrbücher für Philologie.*" Vol. XII. f. I. p. 4. sqq.

suadet aliud, quam ut pari ratione, atque φησίν, illud λέγει accipiendum esse dicamus? Nimirum redde: *quo nomine dicunt, dicitur, in dieser Hinsicht sagt man, kann man sagen, heisst es.* Haud raro ita loquuti sunt e serioris aevi scriptoribus Plutarchus teste *Wyttenbachio* T. VI. p. 791. Longinus p. 228. ed. *Weisk.* et Arrianus Dissertat., cuius in Indice *Schweighaeuserus* p. 472 sq. „φησί, inquit, *indefinite, intelligendo* adversarius: *formula usitata, ubi adfertur obiectio aliqua: aut etiam generatim intelligitur* aliquis, *vel* hic aut ille; *nec enim semper in* proferenda obiectione *locum habet illa formula, verum etiam in* citando exemplo *ad id quod agitur pertinente.*" Cf. *Schoettgen.* ad Lamb. Bos. Ellips. p. 92 Schaef. et de latino *inquit Heindorf.* ad Horatii Sat. I, 4, 79. p. 101. *Ramshorn.* grammat. lat. §. 162. p. 383. Ceterum alludit fortasse Paulus ad Christi verba Marc. V, 41. Quid? quod apud Suetonium Nero semet ipse his verbis excitat ἄγε ἔγειρε σεαυτόν cap. 49.

Turbare denique narrationem dicuntur verba Marci XI, 13. οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, de quibus quid sentiam tanto dubitantius in medium proferre audeo, quum uno ore depravata haec et ab aliena manu adsuta increpuerint *Toupius* Emendatt. in Suidam P. II. p. 218 sq. Lips. C. C. *Tittmann.* Opusc. theol. p. 509 sq. et *Wassenbergh.* p. 18. 39. Reliquorum interpretum ne recenseam sententias, mihi videtur in hac explicatione, cuius me difficultas minime praeterit, acquiescendum esse: *non enim erat* (fuerat?) *opportuna ficuum procreandarum tempes-*

tas, denn es war kein günstiges Wetter für Feigen, für das Gedeihen von Feigen. Anni certe tempus, quo maturae ficus colligi solerent, aut etiam loci ficuum feraces fugere Christum et apostolos minus facile potuerunt, quam quae ad fructus ferendos bona, quae mala haberetur tempestas. Sin dixeris, ex foliis Christum dubitare vix potuisse, quin fruges arbor haberet, vereor ne antea scribendum fuisset εἰ μὴ τὰ φύλλα. Causam si quis quaerat, cur Matth. XXVII, 8. διὸ—σήμερον vetem eliminanda esse, latet illa, nisi fallor, in praegresso articulo v. 7. τὸν ἀγρόν, quo indicatur ager accuratius statim describendus. Pro eo enim, quod subiecturus erat Matthaeus: ὃς διὰ τοῦτο ἀγρὸς αἵματος ἐκλήθη ἕως τῆς σήμερον, verbis interiectis εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις alio abreptus secus atque inchoaverat, neque tamen non diluvidius structuram absolvit. Formula ἕως τῆς σήμερον, qua nec temere nec ita raro sacri scriptores usi sunt (v. Wahl. Clav. II. p. 457.), in memoriam mihi revocat similiter a Xenophonte de aetate sua loquente usurpatorum καὶ νῦν δέ, καὶ νῦν ἔτι, de quibus dictum in Proleg. ad Cyróp. LIII. et pluribus Epilogi locis, ut p. 45. Receptae favet etiam *Gersdorf* l. l. p. 148 sq.

Cl. III. *Recensentur, quae appositionis causa ab scriptoribus sacris adiecta sunt.*

Valckenarius quum in Herodoteis V, 92, 33: ἡμέας δὲ νοὺς Κορινθίους τότε αὐτίκα θῶμα μέγα εἶχε et si quae his similia sunt, haesisset, non dubitavit

Wassenberghius quidquid eiusdem similisve generis in sacris litteris detexisset, non tantum oppugnare sed radicitus expellere, hic illic ne causam quidem probabilem excogitare dignatus, quare sanissima omnia vellet inducta. Factum hoc inter alia I. Thess. II, 13. his verbis: „neque quod eodem Cap. v. 13. invenitur, *τοῖς πιστεύουσιν*, ab ipsius Pauli manu esse crediderim.“ Hoc quid aliud est, quam Pythiae sibi auctoritatem arrogare, de tripode oracula edentis? Tametsi nemo alius, Thessalonicenses certe, quos tantis laudibus cumulavit apostolus, multum ei succensuerint, qui hoc de praeconio participium illud detrahi iusserit, cuius vis haec est: *in vobis, qui fidem habetis.* — In I. Ep. ad Corinth. I, 18. *τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις θεοῦ ἐστι* quidni *ἡμῖν* ferendum putaverit? An quod ad *τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις* additum desideravit *ἐκείνοις*? At quinam sunt *ἐστέ*, quos *τοὺς ἀπολλυμένους* nominavit apostolus? nonne quilibet increduli, quos accuratius designare noluit? Contra *οἱ σωζόμενοι ἡμεῖς* quinam appellati fuerint, nemo est tam hebetis ingenii, quin sponte perspiciat. — Admirandae simplicitati cum gravitatis studio coniunctae, qua Iohannes excelluit, attribuerim IX, 13. et 18. *ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς Φαρισαίους, τόν ποτε τυφλόν* et *ἐφώνησαν τοὺς γονεῖς αὐτοῦ τοῦ ἀναβλέψαντος*, ubi, si mutatione opus esset, aut iubentibus aliquot codicibus *γονεῖς τοῦ ἀναβλέψαντος* aut invitis omnibus *γονεῖς αὐτοὺς τοῦ ἀναβλέψαντος* legi liceret cl. *Gersdorf. Beiträge* p. 430. Sed in sede illorum vocabulorum, quam urget adversarius, quum nihil videam, quod quemquam moretur, tum sana praestant omnia

Ioh. I, 12. *αὐτοῖς—τοῖς πιστεύουσιν*, I. Petr. II, 7. *ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν· ἀπειθοῦσι δέ*, quaeque attuli in Schol. ad Luc. XVIII, 13. Nunc velim addas Eurip. Phoeniss. 1738. Porson. *ἐλαύνειν τὸν γέροντά μ' ἐκ πάτρας*; Thucyd. IV, 85. *ἡμεῖς οἱ Λακεδαιμόνιοι*, 114. *σφῶν πειρασομένους αὐτοὺς τῶν Λακεδαιμονίων*, *Poppon.* Elocut. Thucyd. p. 205. et notata a me supra ad initium Class. I. p. XXXVI.

E contrario gravissimi sunt momenti subsidia, quorum ope *Griesbachius* Act. II, 30. non tantum verba *τὸ κατὰ σάρκα*, quae sola ab sciolo aliquo interprete *Wassenberghio* profecta videntur, sed aliquanto plura textis abiicienda statuit, nihil ille de glossemate odoratus, quod Batavo ibidem VIII, 38. in verbis *κατέβησαν ἀμφότεροι εἰς τὸ ὕδωρ, ὅ τε Φίλιππος καὶ ὁ εὐνοῦχος* suboluit, iniuria, si quid video. Deletis enim *ὅ τε—εὐνοῦχος* haud satis scio, an malignus aliquis explicator eunuchum eiusque aurigam e curru descendentes quam apostolum et eunuchum cogitare malit, eoque probabilius, quod hoc in loco tam cito mutantur numerus et subiectum, ut, uter alterum baptizaverit, incertus sane haereas. Sed cur loco suo detrudamus, a quibus ne pressissimi quidem et politissimi scriptores abstinuerunt? Thucydides V, 18. *ἀμφοτέροις, Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις*, 29, *ὅ, τι ἂν ἀμφοῖν τοῖν πολέοιν δοκῇ, Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις.*

Per se non ineptum est quaeri Matth. XVI, 13. *τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*: *quem me putant homines esse, qui sum filius hominis?* quod non multum declinat ab his: *qui sum*

homo? Qua interrogatione ut Iesus ipse merum se hominem hominisve filium esse fatetur, ita quae subiiciuntur docent, tam Iudaeos quam apostolos augustiorem domino assignasse auctoritatem. Verba enim v. 15. *ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι*, tum demum cum apostolorum responsione male convenirent, si quis synonyma esse hoc in loco demonstraret: *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, *τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ* et *τὸν Χριστόν*. Arrianum in Dissert. I, 9, 6. memini quaerere, *διὰ τί μὴ εἴπῃ τις αὐτὸν Κόσμον; διὰ τί μὴ υἱὸν τοῦ Θεοῦ;* Quid obstat igitur, quominus sese Christus appellet, ut aliis in locis, *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*? Hac qui non contentus sit interpretatione, is cum *Fritzschio* ad paucos illos codices confugiat necesse est, qui pronomen *μέ* ignorarunt.

Amoto versu I. Cor. XI, 10. ad orationis Paulinae integritatem deesse videbitur causa, quare foeminas velari iusserit apostolus, nempe *propter angelos*, quos in concione sacra praesentes esse putarunt. Etenim *διὰ τοῦτο* respicit ad seqq. *διὰ τοὺς ἀγγέλους*, epexegeseos loco postposita, ut Addend. ad Act. XIX, 40. quem ad locum quae notavi, his nunc adiici posse video *Bernhardy wissenschaftliche Syntax der gr. Sprache* p. 284. et *Matthiae gr. gr.* §. 472. p. 880. — Duobus modis secundum reconditiores graecitatis leges enodari licet, quae Paulus dedit Gal. II, 10. (non 2): *ὃ ἐσπούδασα* (non *ἐσπουδάσαμεν*) *αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι*, casu nescio quo ab *Wahlio* in Clavi II. p. 477. ed. sec. praetermissa, aut ut *ὅ* pro *διό* dicatur positum esse, quo de usu pronominis egerunt interpretes Lamb. Bos. Ellips.

p. 678. *Goettling.* ad Aristotelis Polit. p. 295. et *Matthiae* §. 477. e. p. 893., aut, quod malim, accusativus ἃ ex ποιεῖν suspensus est, atque αὐτὸ τοῦτο pronomini relativo explanando inserviunt. Mihi ne credere cogaris, plane huc quadrant, quibus haec Sophoclis Philoct. 315. οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν illustrata dedit *Hermannus*: „Usitatum hoc Graecis est anacoluthi genus, quo hic nihil potest aptius esse. Continetur autem eo, quod oratio abrupta denuo incheatur, quod fit vel negligentia quadam, ut in illo ὧν ὁ μὲν αὐτῶν, vel rei explicandae causa, ὧν ὁ μὲν ὑμῶν, vel quum quid in medio positum est, ut in Oed. R. 246. κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ', εἴτε τις εἷς ὢν λέληθεν, εἴτε πλειόνων μέτα, κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον· vide ad Trachin. 288. et *Elmsleii* Medeam v. 1263. vel denique propter commotionem animi, quum quis aliquantisper dubitans quibus verbis utatur, dein explet ea, quae dicere exorsus erat. Ita hoc loco, ubi si in pronunciando post θεοὶ aliquam pausam facias, senties, quae sit vis huius formulae. Sic etiam Latini. Non debuit mutari, quod in Plauti Trinummo libri habent: *quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum.*" Accedat his *Schaeferus* Demosth. Apparat. IV. p. 326. *Poppo* Eloeut. Thucyd. p. 133 sq. *Thiersch.* gr. grammat. §. 267. extrem. et cf. *Winer. gr.* P. II. p. 53. b. Ne quem vero *Heindorfii* annotatio ad Platonis Gorg. p. 140. fallat, αὐτὸ τοῦτο latinis convenit: *hoc vel maxime*, ut locum ita reddi oporteat: *quod ipsum vel maxime facere studui.* Vide mea ad Xenoph. Memor. III, 12, 2. et *Stallbaum.* ad

Gorg. p. 132. 214. Quibus ita expositis manifestum erit II. Cor. IV, 4. τῶν ἀπίστων non tantum non turbare, sed, quum ab initio versus non scriptum sit ὧν ὁ θεός etc. maxime necessaria esse. Quodsi τῶν ἀπίστων de iisdem dicta, de quibus ἐν οἷς, concoquere Wass. non potuit, nihil magnopere impediit, quo minus verteret: *inwiefern, demgemäss* cll. Ephes. II, 3. *Winer*. P. II. p. 137. et *Bernhardy* l. l. p. 211.

Quum nihil intentatum Batavus reliquit, tum consentaneum est, eiusdem palato parum placuisse Ioh. XIV, 26. (cll. XV, 26. XVI, 13.) τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Quin e margine in contextum his illatis factam esse ait generis masculini ὅς in neutrum ὅ commutationem. Qua in re unum hoc mirandum est, quid sit quod XIV, 16 sq. nihil eum eadem paene verba remorata sunt, nisi forte credibilius putavit, hunc ipsum locum ceteris interpolandis occasionem dedisse. Diversa ratio locum habet Ephes. I, 13. Nam quum inter omnes constet interpretes, aliud esse πνεῦμα πραότητος I. Cor. IV, 21. πνεῦμα δουλείας et υἱοθεσίας Rom. VIII, 15., τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος Hebr. X, 29. et τὰ πνεύματα τῆς ἐπαγγελίας, aliud vero τὸ πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἅγιον, multum mihi crede fallatur, si quis utriusque generis locis confusis perinde esse existimet, τὸ ἅγιον Ephes. I. adsit an absit. Cf. de verbis τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον *Gersdorf. Beiträge*. p. 182.

Quamvis multos male habuerint haec Matth. IV, 18. τὸν λεγόμενον Πέτρον, tamen non dubitandum est, quin ab ipso Matthaeo eo consilio adiecta fuerint, ut ne quis statim a limine alium Simonem praeter Si-

monem Petrum intelligeret. Cf. X, 2. XVI, 16 sqq. Marcus autem qui Petrum nominare potuit I, 16., quum Christus demum III, 16. ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον?

Cl. IV. *Ad explicanda insolentiora et peregrina vocabula hebraeae maxime originis ab ipsis scriptoribus addita esse videntur haec:*

Wassenberghius p. 17. „Porro, inquit, iis quoque, quae insolentius dicta videbantur, haud raro adhaeserunt Glossemata. Ita ὅλον, quod legimus Ev. Ioh. VII, 23. aliquis notiori explicuit ὑγιῆ." Utrum altero notius fuerit, aliis diiudicandum relinquo; mihi certe, quid eruditus homo sibi voluerit, non liquere fateor. Sive enim ὅλον expulsum voluit, sive ὑγιῆ, neutram in partem lucrabimur sententiam tolerabilem, nedum meliorem ea, quae inest in recepta: *si salva lege Mosaica pusillam humani corporis particulam sabbati die curare licet, non est quod mihi succenseatis totum hominem sabbato sananti.* Putavitne *Wassenberghius*, ὅλον ἄνθρωπον ποιεῖν significare *animum hominis excolere totum?* — Verba αὕτη ἐστὶν ἔρημος Act. VIII, 26. arbitror dicta esse pro τὴν ἔρημον s. ἔρημον οὖσαν, quae eo libentius evitavit apostolus, ne quis ad Gazam traheret, quod de via ipse intellectum voluit. Ibidem XV, 34. integrum hoc membrum Ἔδοξε δὲ τῷ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ· μόνος δὲ Ἰούδας ἐπορεύθη glossematis maiorem habet speciem, quam sola verba ἔδοξε δὲ τῷ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ, quae vel ὁμοιοτέλευτον absorbuerit. Contra

interpretatione egere videbatur numerus pluralis v. 33. ποιήσαντες de uno potissimum Iuda accipiendus: quae res ne fucum lectori faceret, versum 34. Lucas subiunxit inutili panno adauctum ab lectoribus, qui opinor satis habuerant solum καὶ Σίλας v. 35. post Βαρνάβας interponere, nisi Lucam ipsum vidissent v. 34. mentem suam declarasse. Sed minus ab hac classe aliena sunt, quae in unum locum huc conferam, si quid de singulis habebo dicere, deinceps allaturus. Matth. I, 23. Ἐμμανουήλ, ὃ ἔστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός. Nec certum habetur et indubitatum, Matthaei evangelium hebraea lingua compositum esse, et, si locum illum, quo tanquam testimonio evangelista usus est, hebraice excitavit, Graecorum causa et gentilium, quorum in usum, quod hodie extat Matthaei ev. conscriptum est, quae originis hebraeae erant nomina, illustrare non solum potuit sed etiam debuit. Vide *de Wette Lehrbuch der hist. krit. Einleitung* Vol. II. p. 173 sq. Illa enim interpretatio tantum abest, ut otiosa sit, ut luculentissime demonstret, haudquaquam temere hoc neque aliud nomen a propheta optatum esse. Quippe et divinum auxilium, per quod ratum fiet vaticinium, indicat, et nominis significatio cum Iesu nomine aliquid cognationis habet. Vid. *Gersdorf.* l. l. p. 88 sq. cui nec *Fritzschius* nuper assensit. Similis causa permovisse Matthaeum videtur, ut XXVII, 33. Golgatha nomen verbis ὃ ἔστι (λεγόμενος suspectum reddiderunt codices) κρανίου τόπος explicaret, nempe quia haec loci appellatio rerum narrandarum tristitiae aliquantum accommodata est: cuius rei admo-

neri ne ei quidem iniucundum erit, qui linguae peregrinae est peritissimus. Apud Iohannem IX, 7. Σιλωάμ non alia de causa explicari manifestum est, quam quod ad piscinam coecus *missus* fuit. Nec temere illata esse in Act. I, 19. τοῦτ' ἔστι χωρίον αἵματος post Ἀκελδαμᾶ, IV, 36. Βαρνάβας — ὃ ἔστι μεθερμηνευόμενον υἱὸς παρακλήσεως cl. Marc. X, 46., XIII, 8. Ἐλύμας, ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Ioh. I, 43. Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος, Marc. III, 17. Βοανεργές, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς, cum res ipsa doceat et sententiarum nexus, non est cur pluribus exponam. Contra solorum Graecorum causa, quorum per omnes terras tam pervulgata lingua erat, aperte ultimorum Christi verborum ἠλί, ἠλί, λαμὰ σαβαχθανί Matth. XXVII, 46. adiecta fuit interpretatio, a nullo non codice exhibita. Idem valet tum de Marc. VII, 11. κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, ex quibus tria vocabula priora non minore iure interpolationi tribui poterant, quam posteriora, tum de v. 34. ἐφφαθᾶ, ὅ ἐστι διανοίχθητι, Ioh. I, 39. ῥαββί, ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον, διδάσκαλε, XX, 16. ῥαββουνί, ὃ λέγεται, διδάσκαλε, I, 42. Μεσσίαν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον ὁ Χριστός cl. IV, 25., Act. IX, 36. Ταβιθά, ἡ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς, cl. 39. quo in versu itidem ἡ Δορκάς suspecta reddidit Batavus, non videns, graecum nomen hanc ipsam ob causam afferri, quod Graecis fuit notius, nec nihil significavit, quod ad mulierem designandam faceret. Praeter XII, 42. Marc. δύο λεπτά, ὅ ἐστι κοδράντης, quo eodem modo scriptor loquitur etiam XV, 16. et v. 42. παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον, simillimi coloris alia reperiuntur per-

multa, non magis illis tentanda, quae se *Wassenberghio* non probaverant. Vid. supra Cl. II.

„Similis plane, inquit W. inter alia p. 35. ad Marc. III, 17., vocabuli orientalis interpretatio occurrit apud *Hesychium* v. Ἰάκωβος et in *Glossar. Albert.* p. 29. (adde Zonaram, Photium, ceterosque Lexicographos, exscripsit enim alter alterum), unde intelligitur illam hoc etiam loco Glossis annumerandam esse." Conferatur idem p. 16 sq. p. 34 etc. Quod tamen argumentum neutiquam tale est, ut de glossematum doctrina, qualem *Wassenb.* nobis propinavit, cuiquam persuadeatur. Namque, ut alia taceam, satis constat grammaticos illos undique sine delectu glossarum materiem ita corrasisse, ut de fonte vocabulorum parum solliciti, utrum aliqua vox explicatione opus haberet, nec ne, minime inquirerent. Inutilium glossarum etsi nulla est illorum Lexicorum pagina, quin exempla offerat, tamen ne affirmanti fidem habeas, quae statim in mentem veniunt, persicae originis nomina παρασάγγης, σχοῖνος testimonii causa commemorare animus est. Quum enim Herodotus identidem tradiderit δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια· ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος, μέτρον ἐὼν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια II, 6. V, 53. κατὰ παρασάγγας, τοὺς καλέουσι οἱ Πέρσαι τὰ τριήκοντα στάδια, tamen nec Hesychius, Suidas, aliique Grammatici, quos laudarunt *Zeunius* et *Poppo* ad Xenoph. Cyrop. II, 4, 21. παρασάγγην et σχοῖνον illustrare dedignati sunt, nec Photius his verbis: παρασάγγης· εἶδος μέτρου Περσικοῦ, ὃ ἔστι στάδια τριάκοντα, et Zonaras p. 1701. *Tittmann*: σχοῖνος: τὸ σχοινίον, καὶ μέτρον γεω-

μετρικὸν ἑξήκοντα σταδίων, ὡς φησιν Ἡρόδοτος. Pariter persicae originis est ἄγγαρος et ἀγγαρήϊον, quod certatim ab antiquis illis Lexicorum conditoribus explanatum videas, licet ab ipso Herodoto satis superque VIII, 98., ut a Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 17., descriptum. Vid. *Valckenarius* ad Herodt. l. l. et *Tittmann.* ad Zonaram p. 17. Praeterea cur Darii, Xerxis, Artaxerxis aliorumque nominum interpretationes Musis suis inseruit Herodotus VI, 98? Cur Scythicorum dedit explicationem IV, 110? Inseruit autem ita, ut ne recentiorum quidem omnium ferret assensum. Testis esto *Baehr.* ad Ctesiae reliquias p. 186. 193. 457 sq. Hunc ipsum Ctesiam quid permovit, ut itidem permulta nomina explicaret in Pers. §. 41. cl. *Baehr.* p. 180 sq. 456., quid Plutarchum in Artaxerxis cap. 1., quid scriptores alios, quos haud paucos laudavit *Brissonius* de regno Persarum Lib. II, 248. p. 615. ed. Lederlin. et *Kiddius* ad Dawesii Miscell. p. 610? Referta sunt haud dissimilibus interpretationibus, licet hic illic ab editoribus sollicitatis, Ciceronis scripta: Epp. ad Divers. IX, 24. qui (sermo familiaris) est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri, quam Graeci: illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id est *compotationes* aut *concoenationes;* nos *convivia:* quod tum maxime simul vivitur. Paradox. Prooem. §. 4. Quae quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium, — ab ipsis etiam παράδοξα appellantur — tentare volui, possentne proferri in lucem, id est, in forum etc. Singulis paradoxis idem et graecum et latinum titulum praemisit, quippe Romanis potissimum scribens, non Graecis. De Fini-

bus Bon. IV, 27. Haec παράδοξα illi, nos admirabilia dicimus. Top. c. 8. Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est nota. c. 9. ex coniugatione, quam Graeci συζυγίαν vocant. c. 4. Graeci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est artis expertes. etc. etc. In Claudio „mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam, vel ut Graece dicam, μετεωρίαν et ἀβλεψίαν" Sueton. Claud. cap. 39. Magis mirere Quinctilianum IX, 4, 45. scribentem: Omnis structura ac dimensio et copulatio vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut μέτρῳ, id est, dimensione quadam. — Nam rhythmi, id est, numeri spatio temporum constant: metra etiam ordine. Cf. Ciceronis Orator c. XX, 67. LI, 170. Alia sciens praetereo, ut qui non ignorem, studium vocabulorum rationes etymologicas et significationes exponendi ne ab antiquissimis quidem poetis abhorruisse: quam in rem consulere poteris interpretes Homerici hymni in Apoll. v. 194 sqq. (373). In sacris autem litteris longissimas et verbosissimas Stephani et Pauli orationes (Act. XIII, 16 sqq.) inspicientibus vix dubium videbitur, quin rerum Iudaicarum Iudaeis ipsis nemo fuerit imperitior. Adeo illic copiose exponuntur; quae, quicunque codicem sacrum manibus versarunt, non video qui magis ignoraverint, quam pueri nostri, quos talia nescire hodie dedecet. Quo minus apostolis succenseamus oportet, hic illic res et verba explicantibus, ne Iudaeis quidem omnibus, nedum Graecis cognita.

Cl. V. *Sequuntur, si quae eam ob causam in dubium vocavit Wassenberghius, quod ad intelligendum paulo sint in difficilioribus.*

Ostensurus, quoties glossae sacrorum scriptorum locos obscurissimos reddiderint, documenti causa attulit Gal. I, 6. 7. μετατίθεσθε — εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον· ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο· εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, et Iud. 7. ἀπέρχεσθαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, ita tamen, ut priore loco sumeret ἄλλο ex ἀλλά confictum esse, quod particulis compositis εἰ μή superscriptum fuerit: deleto glossemate satis perspicuum esse sensum: *quod non est, non extat* usquam, *sed vanum est et fictitium.* In eandem haec sententiam accepisse video cum Hieronymo *Winerum* omissa licet *Wassenberghii* coniectura, qua nihil opus esse arbitror. Quamquam enim non infitior, ἕτερος et ἄλλος ita se nonnunquam excipere, alterum ut iure pro altero positum dicas, tamen vere monuisse videtur Batavus, si in verbis sensus is inesset, quem vulgo existimant, scribendum apostolo fuisse ὃ οὐκ ἔστιν ἕτερον. Praeterea sive ἄλλο sive ἕτερον dedit apostolus, alterum utrum postulat, ut solum εὐαγγέλιον, neque vero ἕτερον εὐαγγέλιον, uti par erat, suppleri liceat. Nihil igitur restat, nisi ut *Grotio* praeeunte intelligas: „*quae res nihil in se habet aliud:* ὅ enim ad totam rem refertur" videlicet ad τὸ ὑμᾶς μετατίθεσθαι ἀπὸ τοῦ κ. etc. Vid. not. ad Xen. Memor. III, 5, 3. Quae praecedunt εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, quum ἕτερος latinis *diversus*, *contrarius* respondeat, malim reddas, *ad diversi generis evangelium*, i. e. quod ab eo diversum

est, quod vos docui, quam *ad aliud evangelium*. „Sic veteres, *Valckenarii* verba sunt Diatr. p. 111. not. 12., ἕτερον et ἑτερόν τι per εὐφημισμόν dicebant τὸ κακόν.“ Horum non memor fuit *Wassenb.*, cum nescio quid de hetaera somniaret, quam quis Ep. Iud. 7. vocis σαρκός explicandae gratia supra scripserit. Ut nulla in II. Petri Ep. II, 10. mentio iniiciatur σαρκὸς ἑτέρας, at notantur tamen ibi homines ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευόμενοι, quod ipsum sed euphemistica ratione l. l. expressit Iudas. „Sic adumbrat prodigiosas libidines, de quibus Paulus Rom. I, 26. 27.“ *Beza*. Cf. etiam *Grotius*.

In Schediasm. p. 360. suspicatus erat *Valckenarius*, postquam Lucas simpliciter scripsisset III, 22. καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡςεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν, extitisse, qui adiecta adnotatione οὐ σωματικῷ εἴδει intrudendis temere verbis σωματικῷ εἴδει ansam dedisset. Absurdum inde culpavit additamentum *Wassenberghius*, neminem fore confisus, quin e contextu sublatum cupiat. Dissentire me non diffiteor; nam reliquorum testimonia evangelistarum si quis examinaverit, quid Lucam impulerit, ut dativos illos intersereret, non erit quod ambigas. Matthaeo et Marco testantibus Christus εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡςεὶ περιστερὰν καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν, apud Ioh. I, 32. contra baptista sese profitetur *vidisse* τὸ πνεῦμα καταβῆναι ὡς περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ καὶ μεῖναι ἐπ' αὐτόν, Lucas vero, qui se accurate omnia investigasse ab initio libri memoriae prodidit, quidnam testimonii de singulari hac spiritus sancti praesentia in medium protulit? „Accidit, inquit, quum omnis

generis homines aqua immersi essent, ut Christus quoque aqua immergeretur, et patefacto coelo spiritus sanctus velut columba in eum descenderet." Enimvero quis vidit? nemone praesentium? non Christus? non Iohannes? Imo vero conspici a nemine potuit, qui nihil, quod caderet in sensus, prae se ferret. „At, dicet fortasse aliquis, hoc ipsum in causa fuit, quare verba ὡς περιστεράν scriptori addenda viderentur." Sed haec de sola velocitate accipienda esse, qua numen divinum in terram descenderit, quum alii ante me viderunt, tum non sinit dubitare locus infra positus X, 18. ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. Secus habent omnia, ubi Lucas praemiserat σωματικῷ εἴδει, h. e. sic ut cerni oculis ab omnibus posset, qui aderant, non solum a Christo et Iohanne, sed etiam ab iis hominibus, qui modo initiati sacro lavacro fuerant.

Suspecta sibi esse fatetur Luc. IV, 13. ἄχρι καιροῦ, sed qua de causa, cum ipse reticuerit, non est quod ineptam vel comminiscamur vel refutemus. In transcursu potius moneo, ibidem v. 25. retinendum esse λιμὸς μέγας, quod *Valckenarius* his verbis impugnavit: „*Fames ingens* hic dicitur λιμὸς μέγας. Sed ex Codicibus liquet *Lucam* scripsisse λιμὸς μεγάλη. In Dialecto Dorica et in sermone Graecorum plebeio non ὁ sed ἡ λιμός dicebatur." *Griesbachium* inde vituperavit *Wassenberghius*, quod huius lectionis a *Valck.* probatae in prima nullam, in altera exiguam rationem habuerit. At rectissime *Griesbachius*, cum nulla sit codicum auctoritas, ad quos *Valcken.* provocavit. Neque vero non reperitur ὁ λι-

μός Genes. XII, 10. XXVI, 1. XLII, 5. XLI, 54 sqq. ὑπὸ λιμοῦ μεγάλου Iob. XXX, 4. λιμὸς ἰσχυρός Dion. Cass. LIX, 16. p. 680. Sturz. ὁ λιμός ibid. LXV, 12. p. 186., atque a codicibus non satis feminina forma stabilitur Luc. XV, 14. Act. XI, 28. ut, quod multis usu venit vocabulis, utraque forma Lucae temporibus videatur frequentata fuisse. Sed *Valckenarii* error non latuit *Iacobsium*, eadem de causa disserentem in Ind. ad Anthol. Palatin. s. v. λιμός. Apud Matthaeum XI, 2. *Fritzschio* assentior reliquis scripturis praeferenti πέμψας διὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπεν. Absolute positum puta participium, parique dicendi ratione, quam exemplis liceat adstruere decerptis ex Herodt. I, 155. ἄπεμπε μέν σφι πέμψας ὅπλα ἀφῆιε μὴ ἐκτῆσθαι, c. 205. ταύτην πέμπων ὁ Κῦρος ἐμνᾶτο τῷ λόγῳ, et Xen. Cyrop. III, 1, 5. καὶ Χρυσάνταν πέμψας ἐκέλευε φυλακὴν τοῦ ὄρους καταλιπόντα ἥκειν, qualia grammatici quoties similiter et Matthaei verba tentaverint, nescienti exponat *Poppo* ad Cyrop. II, 4, 18.

Verborum Marc. X, 30. μετὰ διωγμῶν multis modis vexatorum patrocinium suscepit *Winer*. gr. p. 217., neque, opinor, sine causa, cum sensus esse nequeat: quicunque, quae maxime omnium in deliciis habet, mea causa reliquerit, eadem bona centupliciter hac in vita recipiet, et in posterum vitam aeternam, sed potius: *quicunque — reliquerit, maiora bona licet calamitatibus obnoxia ut in hac vita recuperabit, ita post mortem aeternam felicitatem.* — Glossatoribus adscribendam annotationem esse, quae

Luc. II, 2. interserta est, nondum adducor, ut viris credam doctissimis, qui quod interpretantibus: *hic census prior est actus, quam Syriae praeses esset Quirinius*, obiecerunt, neutiquam hanc vim habere existimo, ut aut corruptam esse vulgatam, aut ab inepto aliquo homine adsutam cogamur statuere. Dicunt enim (v. *Valckenar*. p. 68.), a simplicitate styli Lucanei abhorrere, elegantiam consectari talem tali in loco, ubi usitata vocis significatio et vulgaris usus lectores in errorem induceret. At enim eandem plane elegantiam et simplicitatem, si qua est, admiserunt Ioh. I, 15. 30. XV, 18. Suidas s. *Πλώκιλλα: Πρώτη δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐτελεύτησε*, Themist. Orat. XI. *τὸ σοῦ δεύτερος αἱρεθῆναι μεῖζον εἰς δόξαν νενόμικε τοῦ πρῶτος ἑτέρου*, Schol. ad Aristoph. Nubb. 552. p. 242. Dind. *δῆλον δὲ ὅτι πρῶτος ὁ Μαρικᾶς ἐδιδάχθη τῶν δευτέρων Νεφελῶν*, quae praeter alia minus apta *Musgravius* comparaverat ad Sophoclis Antig. extrem. In contrariam quidem partem abiit *Wyttenbach*. ad Plutarchi Sept. Sap. Conviv. p. 945. ubi „Nam, inquit, quod *Dorvillius* ad Chariton. p. 457. (478 sq. Lips.) *πρῶτος* pro *πρότερος* usurpari notat, non credam ab iis usurpatum, qui diligenter scribere studuerunt. Certe superlativum ita simpliciter pro comparativo adhiberi, abhorrens dicam esse a ratione non modo prosae orationis, sed omnino accuratae scriptionis.“ Sed frustra; est enim hoc serioris aevi scriptoribus prae ceteris proprium, si quidem fidem merentur *Bernhardy* ad Dionys. Perieg. 889. Syntax. p. 439. et *Seidler*. ad *Hermanni* Eurip. Ion. p. XVII. cll. *Schleusner*. Nov. Thesaur.

Vet. Test. Vol. IV. p. 518. et *Wahl.* Clav. II. p. 419. Aliam huic interpretationi difficultatem obmovit *Gerdorf.* l. l. p. 213 sqq. negando, αὕτη ἡ ἀπογραφή apud Lucam denotare: *hic census;* quod ille quo iure quave iniuria dixerit, satis mihi videor in Schol. Lucan. IX, 48. XVIII, 11. exposuisse. Denique ad interpositionis argumentum quod attinet, haud satis scio, magisne mirer socordiam eorum, qui Romanorum scriptorum in rebus Iudaicis nunquam non errantium malunt, quam Lucae testimonio fidem habere, an eorum temeritatem, qui nobis persuadere conantur, futilia, ut aiunt, istiusmodi commenta a glossatoribus conficta esse.

Rom. VII, 21. noli aut τὸ καλόν aut τὸν νόμον eliminandum censere. In neutro haeserunt *Fritzsch.* Coniectan. I. p. 50. et *Winer.* gr. gr. P. II. p. 168. a quibus quae ad sensum loco impedito extundendum exposita sunt, iis hoc unum adiungere libet, aliquanto dilucidius apostolum hunc in modum singula ordinaturum fuisse: εὑρίσκω ἄρα, ὅτι τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸν νόμον (τοῦτ' ἔστι) τὸ καλόν, παράκειται ἐμοὶ τὸ κακόν: *intelligo igitur, legem h. e. honestum facturo mihi adiacere malum.* Plerique ita accipiunt, ut si εὑρίσκω ἄρα τοῦτον τὸν νόμον scriptum legissent. In pronomine personali geminando optimos quosque scriptores luxuriatos esse ostendi ad Xenoph. Memor. II, 1, 26. omissa Matthiaei gram. p. 1312.

Denique in glossematis numerantur etiam nomina quaedam propria, quae viri docti nullo pacto conciliare potuerunt cum antiqui foederis testimoniis, qualia in manus nostras pervenerunt. Huc pertinent Marc.

II, 26. Abiathar pro Abimelecho, Matth. XXVII, 9. Ieremias pro Zacharia et Abraamus pro Iacobo Act. VII, 16. Quae permultis facessiverunt negotia, mirum, quanto codices consensu tuentur, ut, si qui in diversam partem abierint, perexiguam his aut potius nullam fidem habere oporteat. In similia haud raro apud diligentissimos scriptores incidas, maximam partem illa ex studiorum diversitate derivanda, qua memoriae fide freti immensa membranarum volumina adire veteres et consulere reformidarunt, quae brevia nos et commodissima manibus facile terimus.

SCHOLIA
ad Lucae evangelium.

Cap. I. v. 1. πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι]. Vulgo dicunt, verbum ἐπεχείρησαν otiose additum esse, eamque in rem multa cumularunt exempla, qualia sunt Xenoph. Memor. I, 2, 39, ubi Critias et Alcibiades οὐκ ἄλλοις τισὶ μᾶλλον ἐπεχείρουν διαλέγεσθαι ἢ τοῖς μάλιστα πράττουσι τὰ πολιτικά. Cyrop. VI, 2, 7. ἐπεχείρησε κατασκευάζειν. Sed „ἐπιχειρεῖν, inquit *Heindorf.* ad Plat. Sophist. p. 450, non magis h. l., quam usquam alibi meram facit verbi, cujus infinitivus additur, periphrasin, quamvis ita saepe ponatur, ut pinguiore sermone vix satis exprimi queat.“ Etenim utroque illo loco ut vertendum est *instituebant* et *instituerant* (*sie beabsichtigten*, *hatten beabsichtigt*), ita nunc de voluntate, nunc de conatu initiove actionis alibi intelliges. Atque Lucas quidem ipse duobus locis Act. IX, 29. et XIX, 13. quum de conatu acceperit, nihil obstare manifestum est, quominus verba allata reddamus: *multi conati sunt conscribere.* Nimirum emendare et superare alios, qui quod aggressi erant non praestiterant, studuit Lucas, minime vero eorum numerum augere, qui minus recte de Christi vita scripserant. Vid. *Winerus* gram. gr. P. II. p. 192.

v. 3. παρηκολουθηκότι — πᾶσιν ἀκριβῶς] παρακολουθεῖν de eo dictum, qui rerum cognitionem studiose persecutus est, ita ut eam sit consecutus, illustravit *Taylor*. ad Demosthenis Orat. de male gesta legat. p. 423. v. 25. παρηκολουθηκὼς ἅπασι in Schaeferi apparat. crit. et exeget. ad Demosth. Tom. II. p. 683.

v. 4. περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν] h. e. τὴν ἀσφάλειαν περὶ τούτων τῶν λόγων, περὶ ὧν κατηχήθης, *veritatem de iis rebus, de quibus audiendo cecepisti.* Dicendi ratio ex eo est genere, quod attractionis nomine insignire solent, Joh. XI, 6. ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ, Eurip. Androm. 236. οὔκουν ἐφ' οἷς γε νῦν καθέστηκας λόγοις. Soph. Oed. Col. 327. Doederl. (ἦλθον) ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ. Cf. Addend. et Corrigend. ad Kuinoel. Comment. Act. XXI, 16.

v. 8 sq. ἐγένετο δὲ - κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι]. Inter se comparantibus verba cap. V, 1. ἐγένετο δὲ, ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ — καὶ αὐτὸς ἦν ἑστώς. v. 12. καὶ ἐγένετο, ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν - καὶ ἰδοὺ. v. 17. καὶ ἐγένετο, ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν καὶ αὐτὸς ἦν διδάσκων VIII, 1. καὶ ἐγένετο - καὶ αὐτὸς διώδευε IX, 28. 51. X, 38. XIV, 1. XVII, 11. XIX, 15. XXIV, 4. 15. Marc. II, 15. Matth. IX, 10. videri possit ante κατὰ ex codicibus copula καὶ excidisse, quo modo dici non potest, quoties in libris vetustis erratum fuerit, vid. *Bast.* Palaeograph. p. 766. et *Schaefer*. ad Apollon. Rhod. Schol. p. 331. sed nihil mutatione opus esse permulti loci sunt ex eodem Luca depromti, qui demonstrent. Tametsi enim

minus huc traxerim, qualia infra II, 15. leguntur: καὶ ἐγένετο, ὡς ἀπῆλθον - καὶ οἱ ἄνθρωποι - εἶπον v. 21. καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ - καὶ ἐκλήθη, de quibus ad II, 21. dicetur, omnem tamen dubitationem eximunt haec: I, 23. 41. 59. καὶ ἐγένετο, ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παιδίον. II, 1. ἐγένετο δὲ, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δόγμα, v. 6. v. 46. καὶ ἐγένετο, μεθ' ἡμέρας τρεῖς εὗρον αὐτόν. VI, 12. ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, ἐξῆλθεν (al. ἐξελθεῖν αὐτόν, quam constructionem habes III, 21. VI, 1. 6. Act. X, 25. XIV, 1. 5. XVI, 16. Winer. gr. II. p. 111. Aeschyl. Agam. 34. et not. ad Cyrop. V, 2. 12.) VII, 11. καὶ ἐγένετο, ἐν τῇ ἑξῆς ἐπορεύετο εἰς πόλιν, VIII, 40. IX, 18. 33. 37. ἐγένετο δὲ, ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ - συνήντησεν αὐτῷ ὄχλος, X, 38. XI, 1. 27. XVII, 14. XVIII, 35. XIX, 29. XX, 1. καὶ ἐγένετο, ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων — ἐπέστησαν, XXIV, 15. 30. 51. Marc. IV, 4 etc. Cf. *Gersdorf Beiträge zur Sprachcharakt.* p. 235. Non sine causa alios locos simpliciter a me laudatos puta, alios tantum non integros exscriptos. Quis enim dubitet, quin aut ubique post ἐγένετο commate interpungendum sit, aut ut aliis in locis, ita II, 46. VI, 12. 6. 1. III, 21. IX, 28. XXIV, 4. distingui oporteat καὶ ἐγένετο μετ' ἡμέρας τρεῖς, εὗρον αὐτόν? Nisi nullum quis ponere incisum maluerit, posteriorem equidem rationem praeferam, propterea quod illud ἐγένετο talibus in locis ne dicam nullam, at perexiguam certe vim habere manifestum est. Quod quo magis perspicias, fac pro καὶ ἐγένετο scriptum fuisse καὶ ἰδού similemve formulam lectoris animum attentum facientem, atque facile senties, temporum istas no-

tiones primario verbo aptius quam secundario coniungi. Sed in eodem quem tractamus versu ab editoribus variari video inter θυμιᾶσαι et θυμιάσαι, illud exhibente *Griesbachio* et *Schulzio*, hoc revocantibus *Matthiaeo*, *Vatero* et *Knappio*. Litem hanc dirimet, opinor, Grammaticus Hermanni p. 430. ἕτερος κανών. Τὰ καθαριεύοντα μακρὸν ἔχουσι τὸ ᾶ καὶ προπερισπῶνται, ἐρυθριᾶσαι, ἄσαι, ἐᾶσαι· τὰ δὲ μὴ καθαριεύοντα βραχὺ ἔχουσιν αὐτὸ καὶ παροξύνονται, κεράσαι, ὀκλάσαι, γηράσαι κ. τ. λ. Cf. *Matthiae* gr. gr. §. 180. ed. sec. In hoc tamen genere quum alibi passim in sacris scriptis erratum est, tum ne plura h. l. afferam, in omnibus editionibus circumferuntur τὰ ἴσα Luc. VI, 34. ἴσον Joh. V, 18. ἴσα Apoc. XXI, 16. Philipp. II, 6. quasi vero nec *Bentleius* ad Menandri fragm. p. 533. ed. Meinek. nec *Brunckius* ad Aristoph. Plut. 1133. p. 617. Lips. docuissent, apud Atticos ἴσος corripi, apud epicos produci. Vid. *Porson.* ad Eurip. Orest. v. 9. et *Jacobs.* ad Philostrat. p. 599. *Arcadius* de Accent. p. 75. 4. 10. *Buttm.* gr. gr. max. I. p. 39. Idem Buttmannus T. II. p. 40. docere potest, Luc. IV, 35. vitiosum esse ῥίψαν, tacite a *Schulzio* correctum. *Etymol. Mag.* p. 673. 7. σεσημείωται τὸ πίπτω, φύσει μακρᾷ παραληγόμενον, ἀλλὰ καὶ ῥίπτω. Adde *Favorini* Eclog. p. 365. v. 18. edit. Dindorf. *Dracon. Straton.* p. 73. 18. p. 79. 21. Mendosa sunt etiam ἑστᾶναι Act. XII, 14. συντετρίφθαι Marc. V, 4. et ψύχος Act. XXVIII, 2. Obiter moneo, βαλάντιον quoque ex codd. dudum oportuisse corrigi X, 4. XII, 33 etc. Vid. Annot. ad Conviv. p. 100.

v. 25. ὅτι οὕτω μοι πεποίηκεν ὁ κύριος ἐν ἡμέραις, αἷς ἐπεῖδεν].

Accuratius scripsisset ἐν ἡμέραις, ἐν (non ἐφ') αἷς ἐπ. sed eadem, si qua est, scribendi negligentia in graecis scriptis reperitur, ut Xenoph. Agesil. II, 1. ἐπορεύετο διὰ τῶν αὐτῶν ἐθνῶν ὥνπερ ὁ Πέρσης τῷ παμπληθεῖ στόλῳ, Platon. Apol. p. 27. D. εἰ δ' αὖ οἱ δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινές, ἢ ἐκ νυμφῶν, ἢ ἔκ τινων ἄλλων ὧν δὴ καὶ λέγονται, iisque locis omnibus, quos *Matthiaei* gr. §. 595. p. 1192. *Stallbaum.* ad Platon. Apol. p. 49. Phaedon. p. 88. *Bremii* ad Demosth. Orat. Sel. I. p. 70. *Wineri* gr. P. II. p. 57. aliorumque industria coegit. Verumtamen distinguendum videtur inter illa, quae modo apposui integra, et talia, qualia ad Platon. Phaedon. p. 91. promiscue *Heindorfius* contulit. Neque enim dubium est, quin tempus scriptores et addita ἐν praepositione et neglecta per dativum expresserint. Vid. praeter *Matthiaei* gr. §. 406. Luc. XII, 20. 46. XIV, 1. XIII, 32 sq. XVII, 30 sqq. Recte igitur Mss. A. C. D iussu ἐν iteratum Act. I, 21. ἐν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ εἰςῆλθε delebitur. *Valckenarius* ad Act. XIII, 2. εἰς τὸ ἔργον, ᾧ προςκέκλημαι αὐτοὺς „ponitur, inquit, a Luca pro πρὸς ὃ προςκέκλημαι," imo pro εἰς ὃ προςκ. nisi προςκαλεῖσθαί τινά τι ad exemplum cognatae formulae προκαλεῖσθαί τινά τι dictum fuit, qua de vid. *Matthiae* §. 419. Praeterea tantum abest, ut illud ὅτι abundet, ut elliptice positum existimes. Deest enim ante ὅτι haec sententia facili negotio ex antecedentibus supplenda: *domi me contineo, quia aetate provectae hoc mihi deus beneficium tribuit.*

Similiter IV, 43. subaudienda verba sunt: *non licet mihi diutius apud vos commorari, quia alias quoque urbes necesse est doctrinam divinam edoceam,* ὅτι εἰς τοῦτο (i. e. εἰς τὸ εὐαγγελίσασθαι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ) ἀπέσταλμαι; *nam ad hoc faciendum missus sum.* Non aliter locuti sunt Graeci, in iisque Xenophon, cujus ad Cyrop. IV, 5, 11. VII, 1, 42. vide quae annotavi, et quis nesciat, quam saepe γὰρ particula rationem reddat sententiae vel intellectae vel expressae?

v. 28. ὁ κύριος μετὰ σοῦ· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν]. Assentior iis, qui ἐστίν putant omissum esse et εἶ, nam et angeli personae accommodatius est, felicissima quaeque afferre quam optare, et tam rara est imperativi ἔστω ellipsis, ut Lamb. Bos. de Ellips. p. 603 sq. Schaef. praeter hunc locum nonnisi Luc. X, 5. et Pauli vota commemoret in fronte Epp. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη, in quibus litigari potest, sitne εἴη supplendum, quod toties a scriptoribus negligitur, an ἔστω. Cf. interprett. ad II, 14. X, 6. II. Petr. 1, 2. Luc. XIII, 35. XXIV, 36. et dicenda ad II, 29. De verbis εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν mira exstat disputatio Vorstii de Hebraism. c. XX. p. 5 sqq. ed. Amstel. demonstraturi videlicet, ex hebraismo illa nihil aliud significare, quam *felicissimam mulierum;* at hanc interpretationem nec hebraicae linguae indoles poscit, et Graecitatis leges repudiant, quae reddi iubent: *tu fortunata es prae ceteris mulieribus.* Vid. *Fritzsche* Coniectan. spec. I. p. 18 sq. Winer gr. P. II. p. 79. 7. Vorstio tamen patrocinatus Kuinoelius „Graeci scriptores, inquit, inprimis poe-

tae Graeci hunc morem loquendi quoque sequuntur (fort. scribere voluit: Graeci quoque scriptores etc.) ita tamen, ut positivo jungant genitivum nominum, ut Hom. Odyss. *α*, 219. *ἀποτμότατος θνητῶν ἀνθρώπων*, *infortunatissimus*, *miserrimus*." Quid? num positivus est gradus *ἀποτμότατος*? An, si superlativum esse statuit, quid inest in Homericis, quod ab tritissima loquendi ratione recedat? Cf. potius *Matthiae* gr. §. 320.

v. 29. *ἡ δὲ ἰδοῦσα διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ καὶ διελογίζετο*]. Non improbabilis est eorum sententia, qui vulgatam illam membranarum quarundam scripturae praeferendam iudicant, modo ne quis cum Kuinoelio aliisque interpretandam putet: *quae cum audiisset, maximopere* (?) *perturbata est ipsius salutatione.* Nam quod ait vir doctissimus, verba visus et auditus ab Hebraeis, Graecis et Latinis quam saepissime inter se permutata esse, ea res quam arctis limitibus circumscribenda sit, age exponentem audiamus *Schaeferum* ad Demosth. Prooem. 46. *Ὅσην μὲν πεποίηνται σπουδὴν οἱ πρέσβεις κατηγορῆσαι τῆς πόλεως ἡμῶν, ἅπαντες ἑωράκατε* Apparat. Vol. V. p. 708: „Dictum *ἀκύρως*," inquit. „Debebat *ἀκηκόατε*. Nec tamen propterea putandum, verba sensuum a Graecis scriptoribus haberi promiscua. Quod futile priorum temporum commentum nuper explosi ad Musaeum Schraderi p. 5." Ad graecorum locorum exemplum interpretandi sunt, quos excitavit *Kuinoel*, hebraici loci Jerem. XXXIII, 24.

הֲלוֹא רָאִיתָ מָה־הָעָם הַזֶּה דִּבְּרוּ לֵאמֹר

ubi רָאִיתָ est *vidisti animo* i. e. nostine, ut εἶδον nonnunquam apud Graecos, vid. *Schaefer.* l. l. Vol. II. p. 653. *Matthiaeum* ad Eurip. Bacch. 1298. Luc. IX, 47. et *Wahl.* Clav. I. p. 376. ed. sec. Genes. XLII, 1. quoniam cap. XLI, 57. vicinae gentes narrantur frumentum ex Aegypto petiisse, nec ignorare hoc Jacobus potuit, nihil obstat quominus וַיַּרְא vertatur: *unde intellexit, cognovit.* Quodsi Exod. XX, 15. רֹאִים de populo usurpatum est et tonitrua audiente et fulmina conspiciente, neutiquam inde, quod volunt, evincitur, ראה et שמע synonyma esse: imo ad Hebraeam quoque linguam transferas oportet (vid. *Rosenmueller.* Schol. ad Exod. p. 352 sq. edit. tert.), quod de graeca latinaque affirmavit *Dorville* ad Charit. p. 442. Lips. „summae elegantiae esse, verbum semel positum significationi duorum accusativorum, quibus annectitur, ex aequo respondere posse.“ Cujus loquutionis quum vir graece doctissimus ingentem l. l. exemplorum numerum composuerit, tum prae ceteris huc pertinent Hesiod. Theog. 640.

Νέκταρ τ' ἀμβροσίην τε, τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσιν, Sophocl. Oed. R. 389.

τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τὰ τ' ὄμματ' εἶ, praeterea Aeschyli Prometh. v. 21.

ἵν' οὔτε φωνὴν (ἀκούσει) οὔτε του μορφὴν βροτῶν ὄψει, et quae dederunt *Brunck.* ad Soph. Oed. R. 271. Electr. 435, quem Dorvillii observatio illa non latuit, *Schaeferus* ad Dionys. de Composit. p. 104 sq., et *Elmsleius* ad Eurip. Heraclid. 312. Quae cum ita sint, fieri non poterit, quin de Lucae verbis se-

cus statuamus, atque voluerunt interpretes. At quomodo? Nimirum sic, nisi fallor, ut plene Lucam scripturum fuisse dicamus: *ἡ δὲ ἰδοῦσα τὸν ἄγγελον διεταράχθη καὶ ἐπὶ τῇ ὄψει καὶ ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ: haec autem conspexit angelum et perturbata est tum specie, tum verbis eius.* „Nihil enim vetat, inquit *H. Grotius*, attonitam fuisse et adspectu et auditu.“ Priorem hanc notionem tanto magis silentio praetermissam Lucas voluit, quod eam in participio inesse neminem facile fugerit. Non diffiteor tamen antiquiorem mihi videri fuisse scripturam: *ἡ δὲ διεταράχθη καὶ διελ.* interpolatam illam ex v. 12. ab iis, qui nec Hebraeorum nec virginum mores satis habebant cognitos. Apud Hebraeos enim „angelos videre metuebant pii homines,“ *Grotio* teste ad Luc. V, 8. maleque, opinor, virginis, desponsatae praesertim, pudori consulunt, qui sibi aliisque persuadere studuerunt, Mariam ignotum sibi vel iuvenem vel angelum, qui necopinanti supervenerat, obliquisne dicam an irretortis oculis spectare potuisse! XXIV, 5. certe mulieres, ne cernerent angelos, narrantur *κλίνειν τὸ πρόςωπον εἰς τὴν γῆν.* Accedit, quod participium *ἰδοῦσα* nec Vaticanus cod. B., nec Cantabrig. D. Steph. L. aliique agnoscunt, quod *ἰδών* etiam infra XX, 13. de glossemate suspectum est, (cl. Act. III, 12.), denique quod verba *ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ* ut plane omisit cod. C., ita libri BDL cum aliis omisso *αὐτοῦ* ante *διεταράχθη* interseruerunt? quae fluctuans vocabulorum sedes certissimum alias habetur indicium, quare de talium germanitate vocum dubitari oporteat. *Kuinoelius* intellexit de

angeli salutatione, de qua tamen eadem cogitavit in verbis ποταπὸς (v. Lobeck. ad Phryn. p. 56 sqq.) εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος; Quid? Num putabimus virginem primum salutatione perturbatam fuisse, deinde quid sibi vellet ista salutatio mirabundam secum reputasse? At nihil aliud opinor, nisi id ipsum, quod nesciebat, quid sibi vellet ea salutatio, perturbare debuit virginem, quam probabilius est primum conspecto angelo (qui fons est interpolati illius ἰδοῦσα) commotam fuisse, dein mirifica eius salutatio quorsum tenderet, apud animum perpendisse.

v. 35. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον (male Vater. γενώμενον in textu, et in not. crit. „*post* γεννόμενον *add.* ἐν σοι C.“ imo ἐκ σοῦ) ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ]. In his nondum satis recte illa τὸ γεννώμενον ἅγιον explicasse videntur interpretes; etenim *Kuinoel.* reddidit: *proles veneranda*, rectissime τὸ γεννώμενον, quod *Grotius* post alios pro futuro positum existimaverat: *quod nascetur*. Satis enim constat, participia cum articulis juncta saepissime substantivorum naturam et potestatem induere, omni temporis notione obliterata, ut, de quo ad Anab. VI, 3, 4. dixi, οἱ διαφεύγοντες, i. e. fugitivi, Demosth. p. 61. v. 26. τοὺς παρ' ἐκείνων φεύγοντας, p. 629. v. 27. ὁ τεθεὶς τὸν νόμον, p. 646. v. 7. οἱ δικάζοντες, ad quae plura congessit *Schaeferus* Apparat. Dem. Tom. I. p. 397. 233. Tom. IV. p. 28. 70. 71. nostris etiam similiora. Cf. *Matth.* §. 570. *Winer.* gr. §. 39. 5. a) P. II. p. 122. Sed in eo peccavit cum *Schotto Kuinoelius*, quod adiectivum ἅγιον vertendo ad subiectum traxit, ac si scriptum esset τὸ γεννώμενον τὶ

αγιον. Imo omissum puta *ὄν*, sensumque esse: *quare etiam proles tua, cum divina sit, filius dei nominabitur.* Act. XIV, 8. *Καί τις ἀνὴρ ἐν Λύστροις ἀδύνατος τοῖς ποσὶν ἐκάθητο, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ*, quibus vulgo subiectum *ὑπάρχων* iubentibus codd. eiecit *Griesbach.* Xenoph. Conviv. IV, 25. *καὶ γὰρ (τοῦτο τὸ ὑπέκκαυμα) ἄπληστον καὶ ἐλπίδας τινὰς γλυκείας παρέχει* non est, quod *ὄν* cum *Schneidero* et *Weiskio* post *ἄπληστον* interseras. Memorab. IV, 6, 8. *τὸ ἄλλῳ ὀφέλιμον οὐ δοκεῖ σοι ἐνίοτε ἄλλῳ βλαβερὸν εἶναι*; Industria *Lobeckii* ad Phryn. p. 278. efficit, ut a pluribus congerendis exemplis melius abstineam. *Schottus* vero in edit. 3., quod *τὸ ἅγιον* substantive cepit, in eundem incidit errorem, cuius se Grotium reum fecisse vidimus; vertit enim: *quare sanctum illud, quod nascetur, vocabitur filius dei.* Nihil his habet simile *Gersdorf. Beiträge zur Sprachcharakteristik*, p. 347. p. 351.

v. 37. *Ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα*]. Ne futurum putes pro praesente collocatum esse, quae plerorumque interpretum est opinio, non sufficit inspexisse *Winer.* gr., qui de Lucae verbis his exposuit et §. 20. p. 71. et §. 34. p. 119. ita ut ejusmodi futuris germanicae vim vocis *können* attribueret. Minus hoc probabile, quam quod ad defendendum futurum *ἐάσουσι* ad Memorab. III, 11, 16. attuli. Hoc sibi vult evangelista: *per deum, si volet, nihil non fieri poterit.* De Hebraismo, qui verbis *οὐ - πᾶν* seu *πᾶν - οὐ* inhaeret, ibidem disputavit *Winerus* p. 70. et Addend. p. 208. nec habeo quod praeceptis ejus nunc opponam, nisi forte

quae scripsit Euripides Alcest. 810. ed. Monk. et Herm.

ὡς τοῖς γε σεμνοῖς καὶ συνωφρυωμένοις
ἅπασίν ἐστιν, ὥς γ' ἐμοὶ χρῆσθαι κριτῇ,
οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά,

aliquando propius ab Hebraicis abesse negabuntur, quam quae olim comparavit Georgius Vind. p. 317. De εἷς - οὐ dicam ad XI, 46. *).

v. 39. εἰς πόλιν Ἰούδα]. Nolo omnia, quae de his verbis quantumvis docte et acute monita sunt, sub examen vocare; unum illud non possum, quin h. l. commemorem, articuli defectum ante πόλιν neutiquam in causa esse, quare de Hebrone et Hierosolyma urbibus cogitari nequeat. In graecis certe scriptoribus, ubicunque de certa quadam urbe vel republica nomen hoc intelligitur, omittatur articulus an adiiciatur perinde est. Testes sunto *Schaefer*. De-

---

*) Notabilis est etiam complexus vocum οὐ πάντως, quarum explicationem Winerus dedit gr. P. II. p. 176 sq., non recordatus versuum Theognidis 250 sq. Welck. (305 Bekker).

Οἱ κακοὶ οὐ πάντως κακοὶ ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν,
ἀλλ' ἄνδρεσσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίην
ἔργα τε δειλ' ἔμαθον κ. τ. λ. ubi, nisi Theognidem velis vitiositatem omnibus hominibus innatam docuisse, οὐ πάντως nequit aliter quam *omnino non, prorsus non* explicari, sicut Rom. III, 9. Nam I. Cor. V, 10. dubitare noli, quin ea vis obtineat, quam *Astii* verbis ad Platon. Legg. p. 10. propositis reddam: πάντως est omnino (*überhaupt*), etiam si ab hoc discesseris, h. e. praeterea, praesertim etiam (*auch abgesehen davon, überdiess, besonders auch*). — Cf. *Heindorf*. ad Theaet. p. 284. Denique οὐδὲν πάντως habes quidem Herodt. V, 34. et οὐδέν τι πάντως ibid. c. 65. sed VII, 157, quem locum *Winerus* allatum voluit, nihil nisi πάντως κου πυνθάνεαι legitur. Vid. *Schweighaeuser*. Lex. Herodt. II. p. 174.

mosth. Apparat. Tom. I. p. 384. Tom. V. p. 670. et *Matth.* §. 264. p. 545.

v. 45. *Καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου*].

Obscure *Vaterus*: „ὅτι non *quia*, sed ea, quae credidit, (ὅτι?) significat; τοῖς λελαλ. pertinet grammatice ad vv. ἔσται τελ., sensu etiam ad v. πιστεύσ.“ sed, ne gravius quid dicam, non melius *Kuinoelius*: „Ordo verborum hujus versus hunc in modum constituendus: καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, (quid incisum hoc significet?) τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου, ὅτι ἔσται τελείωσις nempe παρὰ κυρίου, *felix quae fidem habet iis, quae dominus illi annuntiavit, nam eventum habebunt.*“ Tam contortam verborum compositionem quemadmodum ne uno quidem exemplo adstruere eruditus interpres studuit, ita vereor, ne Lucas nusquam comprobaverit, qui eandem, quam h. l., sententiam perspicuis verbis protulerat Act. XXVII. (non 26.) 25. πιστεύω γὰρ τῷ θεῷ ὅτι οὕτως ἔσται, καθ' ὃν τρόπον λελάληταί μοι. Unice enim vera est haec interpretatio: *beata, quae confisa est, fore, ut rata fiant ea, quae divinitus ipsi nuntiata sunt*, h. e. ad Mariam relatum: *beata es non dubitans, quin quae promisit deus perfecturus sit.* Quae non ignoravit Elisabetha, gravidam Mariam esse (v. 42.), eadem non assequor quidni ad v. 38. ἡ δούλη - ῥῆμά σου respicere potuerit.

v. 48. Commoto Mariae animo convenire videtur verborum interpunctio hunc in modum mutata: αἱ γενεαὶ, ὅτι ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατός· καὶ ἅγιον (ἐστί) τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τὸ ἔλεος etc. Vulgaris

enim distinguendi explicandique ratio, (οὐ τὸ ὄνομα ἅγιον, καὶ οὐ τὸ ἔλεος εἰς γ.) latinae magis quam hebraicae linguae indolem sapit, tantoque plus languoris habet, quanto iteratum illud καὶ plus ponderis et gravitatis.

v. 51. ὑπερηφάνους διανοίᾳ].

Notandus dativus praepositione ἐν destitutus, quo ditari possunt exempla a *Winero* laudata p. 84. 3. cl. infra v. 80. XII, 22. Ceterum miror Raphelio diligentissimo h. l. non in mentem venisse loci Xenophontis Anab. III, 2, 10. οἵτινες (θεοὶ) ἱκανοί εἰσι, καὶ τοὺς μεγάλους ταχὺ μικροὺς ποιεῖν, καὶ τοὺς μικροὺς, κἂν ἐν δεινοῖς ὦσι, σώζειν εὐπετῶς ὅταν βούλωνται. Adde Eurip. fragm. Teleph. XXV. p. 345. ed. Matth. τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς ταπεινὸν ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.

v. 53. ἀγαθά] ut alibi, ita hoc quoque loco proprie de cibis et victu dicitur. Vid. a me not. ad Anab. IV, 4, 9. et Valcken. Schol. ad h. l.

v. 55. μνησθῆναι ἐλέους, καθὼς ἐλάλησε πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραάμ].

Nihili est Raphelii auctoritas, qua confirmare studet *Kuinoel.*, quod nemini unquam probare continget, praepositionem πρὸς h. l. in eadem orationis serie dativo simul et accusativo (voluitne τῷ Ἀβρ. an πρὸς pendere?) junctam esse. Meliora docuit nuper *Winer.* p. 212. sed „Phrasis, inquit *Valckenar.*, μνησθῆναι τινός τινι, significans *rei alicuius*, vel *personae in alterius gratiam et commodum recordari, est illa quidem fortasse Graecis veteribus inaudita.“ Vide mihi quam caute illud *fortasse* adjecerit; poterat *non plane*; nam Cyrop. I, 4, 12. Τίς

οὖν ἂν ἡμῖν Ἀστυάγει μνησθείη intelliges: ἡμῖν τοῦ πράγματος πρὸς Ἀστυάγην μνησθείη; Vid. edit. mea et cf. Lennep. ad Phalarid. p. 153. a.

v. 66. Τί ἄρα τὰ παιδίον τοῦτο ἔσται; Καὶ χεὶρ κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ].

Kuinoel: est τί positum pro τίς, ut Act. XII, 18. τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο, add. Theophr. Char. 28, 1. Sic Latini quoque ponere solent *quid* et *quod* pro *quis*." At aliud est τίς ἔσται et οὐδεὶς ἔσται, aliud τί ἔσται et οὐδὲν ἔσται, atque interpretem doctum, ut errorem evitaret, monere debebat, si non genus neutrum nominis τὸ παιδίον τοῦτο, Valckenarii tamen ad h. l. non omni ex parte falsa observatio, quam velim corrigas Schaeferi ope Melett. critt. p. 98. „*Graeci dicunt et πάντα γίγνομαι, et παντοῖος s. παντοδαπὸς γίγνομαι, si quis metu aliove πάθει perculsus alias ex aliis formas induit.*" Cf. Matth. §. 439. p. 821. §. 488. 5. p. 915. In his Horat. sat. I, 6, 55. *post hunc Varius dixere quid essem* Heindorf. *quid* per *qualis* explicat. Ceterum formularum illarum χεὶρ κυρίου, ἡ χεὶρ τοῦ θεοῦ, quas ex hebraica dicendi ratione repetere solent, vestigia etiam in profanis, quos vocant, scriptoribus reperiri, unus nunc Homeri locus testetur Odyss. XIV, 184. καὶ κέν οἱ ὑπέρσχοι χεῖρα Κρονίων.

v. 70. τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτῶν].

Alterum articulum quia ab aliquot codicibus abest, in suspicionem vocaverat Gersdorf. p. 207. 352. uncis ideo inclusum a Vatero addita causa hac: „*neque alias articulus ita adhibetur praecedente adiectivo.*" Cave adiectivum esse credas, quod centies

substantive dictum esse dubitatione caret. Nihil igitur οἱ ἅγιοι οἱ ἀπ' αἰῶνος προφῆται discrepant ab II, 15. οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες, quae verba temere sollicitavit *Gersdorf.* l. l. p. 235 sq. ab Xenophonteis τ' ἄλλα τὰ ἐπιτήδεια Anab. VII, 1, 13. οἱ ἐξελθόντες οἱ ὁμότιμοι Cyrop. II, 1, 2. τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ibid. II, 2, 22. τἄλλα τὰ μέγιστα Plat. Apol. p. 22. D. τὰς ἀποῤῥήτους τὰς τούτου γονὰς Demosth. p. 563. 2. ubi vid. Schaefer. et Buttmann. cl. Matth. §. 279. p. 567. Non sine vi explicandi prioris causa nominis in talibus iteratur articulus.

v. 72. ὅρκον ὃν ὤμοσε].

Rectissime omnium *Valckenarius:* „Tertia est opinio *Jacobi Elsneri*, censentis ὅρκον positum pro ὅρκου, propter sequens relativum ὃν. Elsneri sententia procul dubio vera est. Apud quosvis scriptores Graecos vox praecedens sic saepe flectitur in casum pronominis relativi sequentis.“ Vellem aliquot gemini coloris exempla adspersisset; quod quum facere neglexerit, age documenti causa apponere libet haec: Luc. XX, 17. λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγεννήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας; cll. Marc. XII, 10. Act. X, 36. et Matth. XXI, 42. quo de loco rectius statuit Kuinoel, quam de verbis Lucae, quorum causa provocavit tum ad vers. 55, in quo explicando minus feliciter versatum fuisse diximus, tum ad Fischeri Animadverss. Wellerian. Vol. III. P. I. p. 448. qui de alio longe constructionis genere egit, atque quod ille h. l. illustraturus erat, videlicet de zeugmatis figura a Lucae verbis, si quid aliud, alienissima. Nam quae insuper Fischerus p. 448. collegit,

ei scribendi generi adnumeranda sunt, quod Grammatici anacoluthon vocarunt, modo ne Cyropaediae locum VI, 3, 30, quem excitavit, corruptela putes vacuum esse, vid. edit. meam. Sed redeo ad attractionem illam, quam cum aliis scriptoribus communem habet Lucas. Sic igitur Xenoph. Anab. III, 1, 6. *καὶ ἀνεῖλεν αὐτῷ ὁ Ἀπόλλων θεοῖς οἷς ἔδει θύειν.* I, 4, 15. *καὶ ἄλλου οὔτινος ἂν δέησθε, οἶδα, ὅτι ὡς φίλου τεύξεσθε Κύρου.* Vid. Hermann. ad Soph. Electr. 643. 681. Matth. §. 474. et Buttm. gr. gr. §. 151. I, 4. p. 452 sq. ed. 13. *Vaterus* quid sibi voluerit, non satis assequi me fateor; nam interpretatio eius ita comparata est, ut cum *δοῦναι* videatur *ὅρκον* coniungere voluisse; id quod linguae leges non magis admittunt, quam probare argumenta poterunt, quibus freti interpretes utrumque casum cum *μνησθῆναι* copularant.

v. 74. *τοῦ δοῦναι ἡμῖν - ῥυσθέντας λατρεύειν*].

Debebat esse *ῥυσθέσι*, ut IX, 59, sed cum facile liceat ex *ἡμῖν* suppleri accusativum *ἡμᾶς*, cum infinitivo arctissime nectendum, nihil hoc transitu a dativo ad accusativum frequentius esse videas. Exemplum habes geminum Act. XXVI, 20. *τοῖς ἔθνεσιν ἀπήγγελλον μετανοεῖν, καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν θεὸν ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας.* Cum ibid. XXVII, 3. *φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος ἐπέτρεψε πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα ἐπιμελείας τυχεῖν* dativus *τῷ Παύλῳ* praecessisset, non erat quare scriptor ad *ἐπέτρεψε* vel idem nomen vel *αὐτῷ* repeteret, ceteroquin pari modo ad accusativum transgressus. Ex graecis plura requirentibus obtuli ad

Anab. I, 2, 1. Cyrop. III, 3, 14. VII, 4, 11. Memor. I, 5, 5.

Cap. II. v. 7. ἐν τῇ φάτνῃ.

Mirum mihi semper accidit, quid sit quod VV. DD. certatim magnoque consensu ostendere studuerunt, non praesepe stabuli, sed ipsum stabulum illud intelligendum esse, quod deversorii loco, ubi Christi parentes habitaverint, adstructum fuerit (ἡ φάτνη). Nihil est enim naturae convenientius, quam ut, quum parentes ipsi in stabulo, quod per plures fortasse menses pecora in pascuis custodita non intraverant, commorari cogerentur, (διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι), infantem recens natum in editiore aliquo loco, qui incunabulorum instar esset, i. e. in praesepi collocarent, unde nec delabi posset, et a periculis quam in solo a parentibus occupato esset tutior. Accedit quod de stabulo cur cogitemus Prov. XIV, 4. Hab. III, 16. ceterisque locis, quos laudarunt, nulla causa est. Vid. Schleusner. Nov. Thesaur. s. φάτνη, Luc. XIII, 15. et Gersdorf. p. 221. *).

v. 12. εὑρήσετε βρέφος].

Graecae linguae indoles postulabat εὑρήσετε γὰρ βρέφος (v. I, 76. IX, 44.), neque tamen necessario,

*) Virgilii verba Aeneid. VII, 275. *stabant ter centum nitidi* (equi) *in praesepibus altis* satius est ita intelligi, ut pro *ad praesepia alta* dicta putes, quam de stabulis. De loci vicinia quoties ἐν et *in* usurpatum fuerit, scire cupientem docebit *Spohn.* ad Blemmid. p. 29 sqq. *Matthiae* gr. §. 577. p. 1139.

quandoquidem est etiam ubi omittitur, vid. XIX, 21. et mea ad Conviv. p. 116 sq. Memorab. II, 1, 1.

v. 14. *δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία*].

Quum in prioribus non tam dei quam Christi mentio iniecta fuerit, quum angeli hoc tempore id potissimum agant, et opinor agere debeant, ut Messiam pastoribus commendent, non autem deum, pridem omnibus adoratum, quum denique aptius pastores conspecto demum Messia (v. 20.) in deo celebrando consentiant, in tanta diversarum lectionum et interpretationum multitudine, qua haec verba obscurare magis quam explanare interpretibus placuit, difficile sane est ad intelligendum, qui factum sit, ut nemo, quod sciam, ad Christum ipsum referret hunc in modum: *Χριστὸς ὁ κύριος δόξα ἔσται ἐν ὑψίστοις ὄντι θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη κ. τ. λ.* h. e. *Messias celebrabit in coelis deum et in terram deducet pacem divinam* etc. Simili ratione XIX, 37. Judaei perhibentur ante omnia deum, deinde Messiam collaudasse: certe omissis dei laudibus unum Christi praeconium a Luca disertis verbis allatum est, nec quisquam mirabitur, si laudem, qua deum angeli extulerint (*αἰνούντων τὸν θεόν*), ab evangelista h. l. silentio transmissam viderit. Sed haec utut sunt, illud certum esse arbitror, non omnia nos hic verba hymni divini habere, sed paucissima tantum eius fragmenta, quae, nisi invitis codicibus *ἐν ἀνθρ. εὐδοκία* ut verborum *ἐπὶ γῆς εἰρήνη* interpretamentum delebuntur, vulgarem interpretandi rationem amplexus frustra ab tautologiae parallelismum redolentis

specie liberare tentabis. Concinunt enim multis modis haec duo ἐπὶ γῆς εἰρήνη et ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, sive reddideris *terrae contigit felicitas*, *homines amat*, nam amor divinus illius fundamentum est felicitatis, sive *in terra pax existit aequiescente deo in hominibus*, sive alia quapiam ratione. Difficultatem loci mirum quantum auget copula καὶ primo illa membro postposita, et tamen post secundum praetermissa: neque enim quisquam putabit idem esse καὶ posse atque γάρ. Multo plus veri similitudinis habet *Pauli* summo venerandi sententia, ad καὶ (*und*) supplentis λεγόντων, cll. Matthaei XV, 4. Marc. VII, 10. Luc. VII, 16. IX, 33. Act. I, 20. Quanquam inter utriusque generis locos hoc interesse manifestum est, quod illic notissimae excitantur leges, hic carminis unius, ut videtur, verba commemorantur. Plurimi igitur interpretes, ut posteriorum membrorum verbositate quodammodo lenita aptiorem sententiam lucrarentur, aliquot librorum manu exaratorum et patrum ecclesiasticorum lectionem καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας quamvis invenustam commendare omnibusque interpretationis lenociniis exornare conati sunt, subtilius credo, quam verius. Ut enim insolentem verborum seriem taceam, quam necesse fuerit aliquantum laeviges scribendo καὶ εἰρήνη ἐπὶ γῆς ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, graecum hominem, etsi fortasse hebraeum et latinum, usquam dixisse ἀνθρώπους εὐδοκίας, hoc ut sit: *homines deo probatos*, eo mihi videor praefractius negare posse, quia a nemine ad h. l. eiusdem similisve loquutionis exemplum video allatum esse. Legitima sunt enim ἁπλῶ

εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς Psalm. V, 15. et καιρὸς εὐδοκίας Ps. LXIX, 14; verum qui ex antiquioribus scriptoribus vel sacro in codice dixerit ἄνθρωποι ἀρετῆς, σοφίας pro *hominibus probis et sapientibus*, novi neminem. Sed ecce Priscianus XVIII, 2, 28. Tom. II. p. 118. Krehl. contradixit: „quando habere aliquid vel consequi per genitivum Graeci ostendunt, nos vero ablativo utimur, ut μεγάλης ἀρετῆς ἀνήρ, id est magnam virtutem habens vir: Latini *magna virtute vir* dicunt. Frequenter tamen et genitivo secundum Graecos in hoc sensu utuntur, ut, *magnae virtutis vir*." Anna Comn. IX, 253. A. Ὅσοι σταθερωτέρας γνώμης ἦσαν. Liban. Ep. 677. 324. Παῖς φύσεως ἐγρηγορυίας, aliaque Lobeckio ad Phryn. p. 215. ex infimae graecitatis temporibus commemorata, qualia ante congerere et comparare debebant interpretes, quam de scriptura ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας iustum ferrent verumque iudicium. Quod si facere non obliti essent, fallor aut facili negotio perspexissent, ad tuendam hanc notabilem sane lectionem nullum plane argumentum, nullum pondus repeti posse ex locis, quotquot vel Lobeckius l. l. et Matth. §. 316. e. vel ex latinis scriptis Ruddimannus Institut. grammat. lat. P. II. p. 59 sqq. ed. Lips. Ramshorn. gr. lat. §. 102. alii collegerunt, quippe in quibus ad unum omnibus aut participium aliquod aut adiectivum, qualitatem significans, genitive sit appositum *). Pro-

*) Ut particularia notavit hoc in genere *Ruddim. Homo trioboli*, *Homo teruncii*, sed dicta tamen pro *trium obolorum*, *trium uncialum*.

vocavit quidem *Rosenmuillerus*, ad verum videndum haud raro perspicacissimus, ad Luc. XVI, 8. ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, unde *Winerus* quoque grammaticae §. 26. p. 92. οἰκονόμων τῆς ἀδικίας inseruit, sed vereor ne injuria, quum verbi ἐπαινεῖν τινά τινος constructionem pridem illustraverint *Lennep*. ad Phalarid. Ep. V. p. 24. a. p. 269. a. editores Lamb. Bos. Ellips. p. 706. Schaef. et *Wyttenbach*. Animadvers. in Julian. p. 149. Schaef. Quodsi in convers. Alexandr. passim ἀνὴρ θανάτου legitur, similiter Attici παρθένος γάμου ἤδη ὡραία dixerunt, ut Xenophon. Cyrop. IV, 6, 9. ibique not. atque ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας II. Thess. c. II, 3. ad graecarum phrasium exemplum (v. *Matthiae* §. 316. p. 623.) de homine peccante, et perdito intelligendae sunt. Quibus expositis elucere arbitror, aut plane reiiciendos istos ἀνθρώπους εὐδοκίας, aut qua de re pro abnormi horum scriptorum dicendi genere nolim desperetur, ex sacris libris circumspicienda et expromenda esse similiora illis exempla, quam hucusque allata vidimus. Tum demum illud etiam dijudicari poterit, ἄνθρωπος εὐδοκίας sitne *homo deo probatus*, an vero, quod probabilius est, nihil nisi *homo qui habet benevolentiam*, vel dei et hominum, vel in deum et homines, ut μεγάλης ἀρετῆς ἄνδρα Priscianus explicat, qui *magnam virtutem habet*, ut γυναῖκες σωφροσύνης τῆς ἀνωτάτω Eusebio sunt *mulieres summam habentes sapientiam*. Sed ut ad vulgatam scripturam revertar, si germana verba sunt ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, vix poterunt omissa copula aliter explicari, quam sicuti

praeivit *Paulus*: videlicet ut dicamus appositionis loco verbis καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη adiuncta esse, minime tamen eo, quem indicavit vir eruditissimus, sensu: *quae inter homines est gratissima, quae placebit hominibus*, beabit homines, sed potius: *quod sit documentum benevolentiae divinae erga homines.* Nostrates dixerint: *zum Beweise seines Wohlgefallens an den Menschen.* Quo probato nihil nisi τοῦ θεοῦ vel αὐτοῦ ad εὐδοκία supplendum erit, ad substantivum centies illud a Graecis omissum. Adde quod huic explicationi constans usus vocis εὐδοκεῖν, atque Pauli verba I. Cor. X, 5. οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησα, quibus cum aliis usus est Winerus gr. P. II. p. 66. 199. mirifice favent. Dicendi brevitatem in his inesse manifestum est, sed talem tamen, quae neutiquam ab Graecorum consuetudine abhorreat, rem ipsam hic illic pro signo rei documentove ponentium. Sic, ne rariora et reconditiora sectari videar, notissima illa τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστίν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου quid aliud significare putabimus, quam *hoc est signum corporis mei, novi foederis, sanguinis mei?* Quid? quod Aristophanes scripsit in Avium versu 608. Dind. ἢν εὖ πράττωσ' (homines), οὐχ ὑγιείᾳ μεγάλη τοῦτ' ἐστί; i. e. *si secundis rebus fruantur homines, nonne hoc magnae sanitatis signum est?* Eurip. Iphig. Taur. 1128. Matth. τὸ γὰρ μετ' εὐτυχίας κακοῦσθαι θνητοῖς βαρὺς αἰών. Cf. *Matthiae* ad Eurip. Bacch. v. 960. et gr. gr. §. 433. 3. Quare in illis sacrae coenae formulis, quae tantas turbas excitavit, copula ἐστί adeo non est necessaria, ut salvo

sensu videatur abesse potuisse. De appositionis autem genere, ex quo explicationis gratia nomini nomen adnectitur, non est quod quis dubitet, quum praesertim Wineri gr. §. 40. b. P. II. p. 128. industria similium me exemplorum cogendorum negotio exsolverit. De Messia denique an de deo hymnum hunc velim intelligi, non iam potest esse ambiguum.

v. 16. ἦλθον].

Turpi stribligine abstinere debuit Kuinoel. in his „quae (חלך et בוא) interpretes Al. modo verbo πορεύειν, modo verbo ἔρχεσθαι expresserunt."

v. 21. καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν αὐτὸν, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς].

Non nescio, leve esse, quod proferam, sed in sacra scriptura aut in omnibus omnino literis quidquid vel pluribus simul locis lucem aliquam affert, vel obscurae doctrinarum particulae illustrandae inservit, nihil quidquam tam pusillum cogitari haberique potest, quin accuratiore expositione egeat. Atque hoc quidem loco *Gersdorf.* p. 243. minime ferendum esse putat alterum illud καὶ ante ἐκλήθη collocatum, quod *Winero* gr. p. 205. ex duarum confusione constructionum videtur derivandum esse. Cui ipse rationi recordor quo tempore addictus fui, nunc tamen malim illud amplectaris, quod *Kuinoelius* apposite de his monuit: „Post παιδίον, inquiens, deest verbum περιετμήθη, et integra formula haec est: τότε περιετμήθη καὶ ἐκλήθη," aut οὐ μόνον περιετ. ἀλλὰ καὶ ἐκλ. Rectius idem Winero explicat v. 28. καὶ αὐτὸς ἐδέξατο „Simeon praeter parentes et sacerdotem, *ulnis eum excepit.*" neque secus statuendum de

v. 15. ὡς ἀπῆλθον ἀπ' αὐτῶν οἱ ἄγγελοι, καὶ οἱ ἄνθρωποι. — εἶπον — καὶ ἦλθον σπεύσαντες, nisi quod finitum tempus cum copula iunctum praetulit participio. — εἰπόντες — ἦλθον σπεύσαντες. Itidem explanabis Luc. V, 1. IX, 51. X, 38. VIII, 1. Act. XXII, 29. III, 25. Deuteron. V, 23. alia ex iis, quae promiscue cumulavit *Gersdorf.* p. 253. atque fortasse etiam Jacob. IV, 15. ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, οὐ μόνον ἐμπορευσώμεθα. — καὶ κερδήσωμεν, ἀλλὰ καὶ ποιήσωμεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. Aliter Winer gr. II. p. 92. Sed haec explicatio ne cui videatur dubia, Xenophon dixit Cyr. V, 2, 6. Προεκπέμψας οὖν ὁ Κῦρος προσκόπους καὶ δύναμιν, καὶ αὐτὸς οὕτως ἐξήει i. e. οὐ μόνον οὗτοι ἀλλὰ καὶ αὐτός. Vid. Luc. X, 1. mea ad Cyr. IV, 6, 8. VIII, 1, 13. Memor. I, 1, 6. 7, 1. IV, 6, 1. Permultis in locis, quos habet *Gersdorf.* p. 245. cl. 220, in apodosi ab verbis καὶ ἰδοὺ incipitur, quorum explicationem tentavit *Fritzschius* ad Ev. Matth. p. 75. Praeterea *Paulus* ad pronomen αὐτόν observavit: *man sieht aus dem ächten αὐτόν, dass ursprünglich diese Erzählung unmittelbar mit V. 7. zusammenhing, und die Anekdote von den Hirten erst dazwischen kam.*" Dubito, quum satis constet in talibus Graecos non grammaticam, sed sensum sequutos esse. Act. XXVI, 17. ἔθνη εἰς οὓς Joh. I, 10. τὸ φῶς et αὐτόν. I. Joh. II, 8. ἐντολήν, 5. Vid. *Winer.* §. 27. P. II. p. 52.

v. 29. Νῦν ἀπολύεις].

„ἀπολύεις ponitur pro ἀπολύσεις, *dimittes.*" *Valckenar.* Contra *Wassenberghius*, cuius violentis coniecturis ad sacros libros propositis quantillum

auctoritatis tribuendum sit, ostendisse mihi videor in Miscellan. crit. ed. Friedem. et Seeb. Vol. II. P. I. p. 152, h. l. scriptum mavult ἀπολύοις. At nihil opus est optativo, quo absolute usurpato quam parce horum librorum auctores usi fuerint, si in grammaticae suae parte II. p. 93. plura eaque certiora in medium protulisset *Winerus*, faciliore iudicio disceptari liceret. Sed indicativus est ex eo genere, quod tetigi in *Rosenmuelleri* Repert. II. p. 264. „Fallunt (verba sunt *Schaeferi* ad Eurip. Phoeniss. Porson. 79. ἔρν λύουσ') qui talia de sola voluntate agendi intelligunt: vere enim incipit actus; sed ob impedimenta caret eventu.“ Vid. eundem ad Demosth. p. 44. 5.

v. 31. κατὰ πρόςωπον πάντων τῶν λαῶν].

Ad Ctesiae fragm. Pers. §. 31. ἀνέμου κατα πρόςωπον Βακτρίων πνεύσαντος Baehr. p. 169. annotavit haec: An κατὰ προςώπου? At videtur eadem abundantia esse dictum, qua saepius in sacra scriptura v. c. Luc. II, 31 etc. „Meliora docebit Jacobs. ad Achill. Tat. III, 1. ἐγείρεται δὲ κάτωθεν ἄνεμος ἐκ τῆς θαλάσσης κατὰ πρόςωπον τῆς νηός Animadverss. p. 612.

v. 35. καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς].

Paulus sic interpungit: καὶ· σοῦ δὲ αὐτῆς, a quo dissensi equidem Addend. et Corrig. ad Act. XXII, 29. p. 259. Id ipsum δέ post καί ex codicibus revocabis supra I, 76. nec sollicitabis Joh. XV, 27. I. Joh. I, 3. Luc. X, 8. II. Petr. I, 5. Vid. *Schulz.* ad I, 76.

v. 37. νύκτα καὶ ἡμέραν].

Semel praeter hunc locum eadem in N. T. legi

idque Act. XXVI, 7. annotavit *Gersdorf.* p. 261. Sic etiam Homer. Odyss. VIII, 468. *μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα*, Xenoph. Anab. VII, 6, 9. *καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν*, Hieron. VII, 10. Anab. VI, 1, 18. *νυκτὸς καὶ ἡμέρας*, Conviv. IV, 48. *οὔτε νυκτὸς οὔτ' ἡμέρας*, Apol. §. 31. Contrario ordine *ἡμέρας καὶ νυκτός* Apoc. IV, 8. Luc. XVIII, 7. Act. IX, 24. Anab. VI, 1, 14. *ἡμέραν καὶ νύκτα*, Memor. II, 2, 5. 8. *καὶ ἡμέρας καὶ νυκτός*, Platon. Apolog. p. 40. D. *νύκτας τε καὶ ἡμέρας — ἡμέρας καὶ νύκτας*. Similiter apud Romanos in eadem formula variatur notante *Heindorf.* ad Horat. Sat. I, 1, 77. p. 19.

v. 46. *ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων*].

Recte vertunt *inter doctores*, modo ne quis credat *ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων* idem esse et *ἐν τοῖς διδασκάλοις*. Enimvero illud est: *sedebat inter doctores*, ita ut ab omnibus posset conspici vel audiri. v. Act. I, 15. XVII, 22. Xenoph. Anab. I, 5, 15. *ἐλαύνει εἰς τὸ μέσον καὶ λέγει ὧδε*. V, 2, 26. *εἰς τὸ μέσον ἑαυτῶν καὶ τῶν πολεμίων, ut ab suis pariter et hostibus conspicerentur*. III, 1, 21. *ἐν μέσῳ κεῖται* dicuntur, *ad quae omnibus patet aditus*. Cyrop. IV, 1, 1. *στὰς εἰς τὸ μέσον — ἔλεξε*. VII, 4, 4. *καθεζόμενος εἰς τὸ μέσον*, etc. Corrige igitur *Fritzsch.* ad Matth. p. 569. Alterum illud *ἐν τοῖς διδασκάλοις* dubium relinquit, quam sedem puer occupatam tenuerit, obscuro an aperto in loco, *ἐν τῷ φανερῷ*, ut Graeci dicunt.

v. 49. *οὐκ ἤδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;*

Gersdorfio p. 270 sq. translationibus aliquot con-

fiso post ἐν τοῖς excidisse visa sunt vel οἴκοις vel ἰδίοις. In eandem sententiam locum interpretatus est *Markländus* ad Lys. p. 392. Reisk. verba εἰς τὰ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἐμοῦ.ε *in domo patris mei* ell. *Joseph.* Antiqu. Jud. XVI, 10, 1. quibus accedant editores *Lamb. Bos.* de Ellips. p. 337 sq. et *Lobeck.* ad Phryn. p. 100 sq. „Miror," pergit Markland. „aliquos hunc Lucae locum aliter interpretari et vertere. Dicit, mirum vos tam diu me quaesivisse, et non statim scivisse, ubi futurus eram: ubi enim quaerendus erat *filius*, nisi in domo *Patris* sui? Emphasis quoque est in istis, τοῦ πατρός μου. Maria enim supra dixerat ὁ πατήρ σου, de Josepho loquens: Jesus vero ex hoc responso dat iis intelligere, *Deum*, non *Josephum*, Patrem eius *revera* esse." Quae quanquam se probavit interpretatio *Valckenario*, *Paulo*, *Kuinoelio* aliisque, tamen a me impetrare non possum, ut consentiam. Imo praestat haud dubie illud, quod ex apostoli verbis elicuerunt alii: *num ignorabatis, oportere me divinis rebus occupari?* tum verborum causa, tum sententiae. Ab grammatica ut exordiar, cum ellipsium doctrinae minime faveam, τὰ τοῦ πατρός, magnopere vereor, ut aliud quidquam significent quam τὰ πατρῷα, eaque manifestum est significantius dici quam τὰ οἰκήματα τοῦ πατρός, quia et aedis notionem complectuntur, et res divinas. Amat autem, ut satis constare puto, Christus eiusmodi responsiones et sententias, quae tam vulgari quam excelsiore sensu accipi possint, velut quod in posterum dixit de templo evertendo intraque tres dies restituendo. Cf. IX, 60. Priorem

si Christus potestatem in animo habuisset solam, cur plurali numero exprimere quam ea ratione maluisset, qua usus est Joh. II, 16. μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου οἶκον ἐμπορίου, nemo facile idoneam causam excogitaverit. Lucas quoque XXIV, 53. scripsit ἦσαν ἐν τῷ ἱερῷ, nusquam ἐν τοῖς τοῦ πατρός de templo simpliciter. Unus exstat locus ex omnibus, quos in medium adduxit *Kuinoel.*, ita comparatus, ut vel incredulo videatur persuadere debere, vix aliam quam priorem explicationem admitti posse, sed videtur tantum, revera persuadebit nemini, dico locum Genes. XLI, 51.

כִּי־נַשַּׁנִי אֱלֹהִים אֶת־כָּל־עֲמָלִי וְאֵת כָּל־בֵּית אָבִי׃

h. e. *omnia mala mea et omnia mala paternae meae domus*, quae graece non poterant non verti: ἐπιλαθέσθαι με ἐποίησεν ὁ θεὸς πάντων τῶν πόνων μου, καὶ πάντων τῶν τοῦ πατρός μου pro πάντων τῶν πόνων τῶν τοῦ πατρός μου. Contra nihil est frequentius loquutione ἔν τινι εἶναι ἐπιστήμῃ, *scientiam aliquam tractare*, ἐν φιλοσοφίᾳ, ἐν Μούσαις εἶναι, vid. *Markland.* ad Max. Tyr. Diss. XXI. p. 396. Reisk., Soph. Oed. Tyr. 561. τότ' οὖν ὁ μάντις οὗτος ἦν ἐν τῇ τέχνῃ ubi vid. *Erfurdt.* et ad Anthol. Palatin. p. 878. *Jacobs.* Eadem usus est Paulus I. Tim. IV, 15. ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι, vid. *Wahl.* Clav. I. p. 366. Denique quam ait Marklandus emphasin inesse in verbis τοῦ πατρός μου, utramcunque sequaris interpretandi rationem, intacta illa et illaesa servabitur. Sed „Maria, inquit K., dixerat, quare hoc fecisti? nos te ubique locorum quaesivimus? Ergo non de negotio aliquo

sed de loco verba facit." Imo Maria dixerat, cur nos non secutus es, sed hic in urbe temploque remansisti? anxii nos te quaerebamus. Ergo non de loco solum sed de causa et consilio verba facit, quae eum, ut parentes non sequeretur, impulerint. Christus autem ita respondet, ut etsi facile parentes perspicere poterant, cuius rei causa in templo versaretur, necessitatem tamen non intelligerent, qua coactum se puer fateretur ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντος αὐτόν Joh. IX, 4. divinique magis quam humani patris voluntati satisfacere.

Cap. III. v. 5. πληρωθήσεται - ταπεινωθήσεται].

Quae futura non est, quare per latinos coniunctivos ab interpretibus reddantur. Futura sunt legitima futuris respondentia latinis et germanicis, ita ut supra ad I, 37. dictum est. Nihil in contrariam partem ostendunt, quibus usus est *Winer*. p. 119. vel exemplis vel adnotatione *Hermanni* ad Viger. p. 927. Non enim optat Johannes, ut lacunae expleantur, vel montes deprimantur, sed proverbiali hac loquutione significat futurum esse, ut iniqua fiant aequa, superba modesta, improba proba.

v. 8. Ποιήσατε οὖν καρπούς - καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς].

Ut perspicias, quid sibi οὖν illud velit, supplenda est ex praecedentibus sententia: imo dico, vos futuram poenam non effugituros esse: nihil igitur restat vobis, nisi ut virtuti dehinc operam detis, qui adhuc vitiis dediti fuistis. Etenim ab ea laude, quae secundum *Fritzschii* explicationem (Matthaei ev. p. 127): „*ad melioremfrugem accedite, proferte*

fructus meliores." Pharisaeis tribuitur, alienissimus fuisse animus putandus est eius, qui laudum suarum initium fecit a verbis: *γεννήματα ἐχιδνῶν*. Idem p. 549. nimis subtiliter nec satis accurate quae insequuntur *καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς* ita explicat, ut si graece scriptum esset *καὶ μηδὲ ἄρξησθε*. Imo quae simplicissima sunt reddas simplicissime: *atque omittite vobiscum dicere* h. e. *cogitare*, quod tam saepe iactastis, s. omittite excusationem, quam soletis usurpare; quibuscum iure quis, opinor, vernaculam loquutionem contulerit: *das alte Lied anfangen.* Matth. III, 9. *μὴ δόξητε λέγειν* est: *glaubt, wähnt nicht sagen zu können.*

v. 10. *τί οὖν ποιήσομεν*].

Non negligenda est librorum scriptorum auctoritas, *ποιήσομεν* pro futuro exhibentium. Neutrum est falsum, sed exquisitius futurum, quod in subsequentibus mutare librarii desierunt. Eadem est scribendi diversitas Joh. VI, 5. *πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους*; quae cave cum codicibus immutes. Platon. Protag. p. 333. C. *πότερον οὖν πρὸς ἐκείνους τὸν λόγον ποιήσομαι ἢ πρὸς σέ*; Vid. Hermann. ad Viger. p. 742. not. ad Xenoph. Memor. III, 6, 6. et *Winer*. gr. P. II. p. 88. 14.

v. 21. *καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος*].

Non coniungit *καὶ* ut copula nec antecedentia, nec quae sequuntur, sed sonat *etiam*, *οὐ μόνον ἅπας ὁ λαὸς ἐβαπτίσθη ἀλλὰ καὶ Ἰησοῦς*. Vid. ad II, 21.

v. 23. *Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ.*

Haec verba una cum variarum lectionum quibus scatent farragine, eam habent indolem, ut si omnia,

ad amussim exigere quis voluerit, singulari opus sit disputatione. Equidem tamen nunc acquiescam in refutandis quibusdam opinionibus, quibus loci huius intelligentia obscurata est, cetera in aliud tempus reiecturus. Nam qui ἀρχόμενος ὤν iungenda existimarunt, parum videntur perpendisse, alii participio illud ὤν nonnisi ibi plerumque adiici, ubi substantivi vel adiectivi vicem participium sustineat. Recte habent haec in Xenoph. Conviv. VIII, 2. ἐρώμενος ὄν. Homer. Iliad. τ' 80. ἐπιστάμενόν περ ἐόντα. Eurip. Hec. 358. Porson. οὐκ εἰωθὸς ὄν, ubi vid. *Schaefer.* edit. tert., Dionys. Hal. Ant. Rom. V, 10. συνάρχοντα ὄντα, sed qui ἀρχόμενος ὤν tueri volunt, aut ostendant necesse est, ἀρχόμενος usquam substantivi vel adiectivi naturam induisse, aut ad id genus dicendi confugiant, quod licet multis dubitatum tamen in usu fuisse demonstrari potest: Aeschin. orat. Ctesiphont. c. 50. ἑτέρων τὴν ὄψιν διαφέρων γενόμενος (vid. ibi *Bremi*), Platon. legg. XII. p. 963. ὧν δὴ διαφέρων — πάντων τῶν ἐμφρόνων Xenoph. Hellen. I, 2, 2. διασπαρμένους ὄντας τῶν Ἀθηναίων τοὺς ψιλοὺς ἐδίωκον. ibid. II, 1, 28. πορευτέα ὄντα Anab. II, 5, 18. Cf. *Jacobs.* ad Achill. Tat. p. 780 sq. *Paulo* igitur calculum suum adiicere, aut aliquanto gravioribus argumentis eius sententiam refellere debuit *Kuinoel.* Praeterea quaeritur, ἦν et ὤν in eodem orationis membro, etsi diversis vocibus appositis, prolata utrum offensioni Graecis fuerint necne. Non fuisse testantur haec Memor. II, 3, 9. τὸν δὲ ἀδελφὸν φῆς μὲν μέγα ἂν ἀγαθὸν εἶναι, ὄντα πρὸς σέ οἷον δεῖ. Cyrop. V, 3, 23. οἷόπερ ἀγαθὸν ἦν φίλιον ὄν. Anab. III,

4, 19. ὥστε δυςχρήστους εἶναι ἀνάγκη, ἀτάκτους ὄντως. Demosth. Olynth. III. p. 187. Bremi. τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐκεῖνον ἕνα ὄντα κύριον. Eurip. Alcest. 930. ὡς εὐπατρίδαι, καὶ ἀπ' ἀμφοτέρων ὄντες ἀριστῶν, σύζυγες εἶμεν. Aristoph. Avv. 1640. Dind. εἶναι — οὖσαν — ὄντων. Quodsi igitur in mentem alicui venerit, otiosum illud ἀρχόμενος, a codicibus modo huc modo illuc insertum, de interpolatione suspectum habere, non erit quod ceterorum verborum integritati timeat. *Vaterum* miror recoquere potuisse, quae, ut pridem ad calendas graecas reiecta erant, ita verbis Act. I, 22. ne hilum quidem fulciuntur. Non minus novum est ὧν per *iesque* explicari.

Cap. IV. v. 2. ὕστερον ἐπείνασε].

Magis ὕστερον cum εἶτα s. ἔπειτα participio postpositis (v. Viger. p. 339 sq. 772.), quam cum οὕτως congruit, quocum *Fritzschius* ad Matth. p. 158. contenderat.

v. 6. Σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν]. τὴν ἐξ. ταύτην quoniam non differt ab his τὴν ἐξ. τούτων τῶν βασιλειῶν, ideo statim plurali numero subiicitur τούτων. Contra v. 15 αὐτῶν ad incolas Galilaeae refer, qui latent in verbis καθ' ὅλης τῆς περιχώρου. Cf. v. 31.

v. 11. reponendum μή ποτε, *ne unquam;* nam μήποτε esset *nunquam*, quod ab h. l. alienum est. Saepe in talibus peccari videas, v. c. XXI, 34.

v. 22. Post καὶ ἔλεγον supplent τινές, praeter necessitatem, opinor. Id ipsum enim mirum erat, quod etsi omnes Nazarethani non poterant non Christum

laudare eiusque doctrinam assensu suo comprobare, tamen ut humili loco natum contemnebant, nec dignitatem eius agnoscebant. Imo animo praevidebat Christus, uti ex sequentibus elucet, fore, ut, si vel maxime, quod volebant, miracula nova edidisset, tamen Messianam eius auctoritatem non agnovissent. Quam si qui alios statuant incolas reiecisse, alios admisisse, hi videndum arbitror ne Christum fingant posthac omnibus, sontibus insontibus, promiscue iniuriam fecisse.

v. 23. *ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου*].

Illud *ὧδε* quid sibi velit, quae subiiciuntur indicant. Sic Homer. Odyss. XV, 306. *αὐτοῦ ἐνὶ σταθμῷ* Xenoph. Cyrop. III, 2, 29. *οἴκοθεν ἐκ Περσῶν*, I, 3, 15. *εἰς Μήδους ἐνθάδε*, vid. ibidem not. ad V, 4, 34. VII, 3, 5.

v. 26. *Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος*].

Apertum glossema *τῆς Σιδωνίας*, ut plures in codices invectum sit, nollem interpretes tanquam exquisitius vulgatae praetulissent. Cf. *Gersdorf.* p. 95. Unus *Matthaei* „*σιδωνίας* E., inquit. Scilicet, ut regionem notarent, cum Sidon sit urbis nomen. Sed istud etiam hoc notat.“ Xenoph. Hellen. VII, 1, 22. *ἐμβάλλουσιν οἱ παρὰ Διονυσίου εἰς Σικυῶνα.* Anab. V, 5, 4. *τῆς ὁδοῦ ἀπὸ τῆς ἐν Βαβυλῶνι μάχης.* ibid. IV, 8, 22. Cf. Matth. I, 11 sqq. et not. ad Memor. III, 5, 2.

v. 29. *ὥστε κατακρημνίσαι αὐτόν*].

Vulgo docent *ὥστε* de effectu, *ὡς* de consilio fuisse adhibitum. Sed ab hac consuetudine quam veteres hic illic recessisse deprehenduntur, tum recentiores scriptores utriusque notionem coniunctionis ita nonnunquam confuderunt, ut de consilio an de

effectu cogitaverint, incertus saepe haereas. Cf. Act. XX, 24. et Luc. IX, 52. Cuius rei causa in eo continetur, quod non desunt sententiae, in quibus utram notionem praeferat, uni lectoris scriptorisque arbitrio commissum est. „Ὥςτε, (verba sunt *Bremii* ad Demosth. Appar. Vol. I. p. 413 sq. *Schaeferi* assensu stabilita, quorum memor esse debebat *Fritzschius* ad Matth. ev. p. 796.) significat *consequentiam*, eamque, etsi non ut conditio proponebatur, re ipsa tamen repudiarunt Athenienses. Ita Graeci interdum *effectum* ponunt, ubi alii de consilio aut conditione loquuntur.“ Cf. idem *Bremi* ad Demosth. edit. Goth. p. 87. 205. Demosth. Orat. contra Neaer. p. 1355. v. 12. ὥςτε ἐλευθέραν εἶναι Appar. *Schaef.* Vol. V. p. 547. et annot. ad Cyrop. III, 2, 16. Memor. II, 7, 6. Laude igitur dignissimus est *Paulus*, quod illud ὥςτε, a *Griesbachio* bonarum membranarum iussu adscitum, vulgatae lectioni εἰς τὸ non posthabuit; *Kuinoelius* enim ne dignum quidem ὥςτε habuit, de quo quid sentiret verbo significaret. Cf. Matth. XXVII, 1. unde evinci videtur, etiam infra XX, 20. cum BDL al. ὥςτε παραδοῦναι pro εἰς τὸ παραδ. reponendum esse, eoque magis, quod nusquam Lucas εἰς τό usurpasse videtur, toties licet a ceteris apostolis iteratum. Vid. *Gersdorf.* p. 209 sq., qui non iniuria dubitat, an ὥςτε non sit ex Graecismo dictum, ad consilium exprimendum potius ὡς postulante. Cf. *Winer.* P. II. p. 114 sq.

Cap. V. v. 4. ἐπανάγαγε — καὶ χαλάσατε].

Non sine causa Christus a singulari numero ad pluralem transire videtur: in altum enim navigat, qui

eo gubernaculum dirigit, h. l. Simon, sed ad retia proiicienda pluribus hominibus opus erat, qui in navi versabantur. Contra, quod meminerim, accidit Eurip. Hecub. 530. σιγᾶτ' Ἀχαιοὶ, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς· σίγα, σιώπα, ad quae πᾶς λεώς ex antecedentibus supplendum est. In Aristoph. Nubb. 330. ὡστιζόμεσθα de populo chorus intelligit in concione congregato, sed παρείην de semet ipso. Cf. *Heindorf.* ad Platon. Protag. p. 499 sq. et Aristoph. Avv. 1704 sq. Dind. πάραγε, πάρεχε, περιπέτεσθε, 1727. ἄγε νυν — κλῆσατε not. ad Xen. Apol. §. 14. Paulo post v. 5. utitur Petrus singulari χαλάσω τὸ δίκτυον, in quo librarii quidam ita offenderunt, ut χαλάσωμεν reponerent.

v. 6. διεῤῥήγνυτο].

Recte, opinor, *Valckenarius*, cui *Kuinoelius* assensit: *parum aberat, quin rumperetur*, eademque ratio est verborum v. 7. ὥςτε βυθίζεσθαι αὐτά. *Winerum* in Grammat. P. II. p. 80. cur explicationi in grammat. p. 103. allatae poenituerit, causam idoneam non exputo. In Joh. evang. X, 32 sq. quin λιθάζετε et λιθάζομεν itidem accipienda sint, tanto minus dubitari posse arbitror, quia v. 31. lapides Judaei dicuntur sustulisse, ut Christum iis obruerent, atque apposite monuit ad Eurip. Phoeniss. Schaeferus, quae supra attuli ad II, 29. Vid. praeterea *Reisig.* Comment. crit. ad Soph. Oed. Col. p. 312. et *Matthiae* Eurip. Vol. VII. p. 219. Vernacula illa, *es bekam einen Riss*, quibus Winerus usus est, non tam imperfectum quam aoristum reddiderint, a quo evangelista abstinuit.

v. 9. *Θάμβος γὰρ περίεσχεν αὐτὸν καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ*]. Infra VII, 16. dixit *ἔλαβε δὲ φόβος πάντας*, (cf. interprett. ad v. 26.) quae omnia in memoriam revocant Homericorum *θάμβος δ' ἔχεν εἰςοροῶντας*, de quibus ad Ammonii lib. de different. p. 47. dixit *Valckenarius*, Odyss. III, 372. *θάμβος δ' ἔχε πάντας ἰδόντας* et Aristoph. Avv. 786. *εἷλε δὲ θάμβος ἄνακτας*.

v. 19. *μὴ εὑρόντες ποίας εἰςενέγκωσιν αὐτόν*].

Sic pro *διὰ ποίας* mirifico codicum praestantissimorum consensu edendum curavit *Griesbach.*, cui obsequuti sunt *Schott. Matthaei*, *Paulus*, *Kuinoel.*, *Wahl.* Clav. I. p. 445. *Winer.* gr. p. 211. comparatis virorum doctorum commentariis, ex quibus disci iubent, quoties et *ὁδός* et *διά* a graecis fuerit omissum. Sed neo haec testimonia, nec dicendi formulae *ἐπεμβαίνειν χθονός*, *εἰςδέχεσθαι τειχέων*, *ἴέναι τινός*, de quibus disseruerunt *Reisig.* Comment. ad Soph. Oed. Col. p. 247. et *Matthiae* ad Eurip. Iphig. Taur. 352. p. 442. quaeque habet *Matthiae* gr. §. 377. mihi persuadent, aurea et argentea aetate in usu fuisse adverbia loci ex eo genere, quo Lucas usus esse creditur tum h. l. tum XIX, 4. *ἐκείνης*. Qualia antequam aliunde in lucem protracta conspexero, ausim affirmare, sibilum ex iota adscripto (v. *Bast.* ad Gregor. Corinth. p. 574, 719.) vocabulis illis adhaesisse, atque aliquando lectum fuisse *ποίᾳ* et *ἐκείνῃ*. Corruptela ex hoc fonte fluxit etiam in Apollon. Rhod. I, 934. p. 231. Schaefer. „*ποίᾳ subintellecto substantivo μερίδι, ὁδῷ, αἰτίᾳ aut alio quocunque* (?) *fit adverbium interrogativum*, Quanam parte? quali modo?

Quali tandem ratione? Qua de causa? *κοίῃ κρίνεις Τέλλον εἶναι ὀλβιώτατον;* etc." *Schweighaeuser.* Lex. Herodt. II. p. 48. qui loquitur de Herodt. I, 30. Aristophanes Avv. 1211. Diod. *ποίᾳ γὰρ ἄλλῃ χρὴ πέτεσθαι τοὺς θεούς;* Cf. *Fischer.* ad Weller. Vol. III. P. I. p. 220 sq.

v. 35. *Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, καὶ ὅταν*].

Marklandus ad Lysiae Orat. *περὶ τοῦ μὴ καταλ.* p. 920. Reisk. „*καί* ita positum, inquit, nulli neque usui neque venustati inservit. Repone *ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ — καὶ τότε νηστεύσουσιν* etc. et ita plane Matth. IX, 15. et Marc. II, 20." cum codicibus aliquot et conversionibus, quibus loci illi gemini, non dubium est, quin fucum fecerint. Etenim *καί* esse arbitror explicativum, latinis quod respondet *et quidem*, ut sensus sit: *quandiu cum sponso versantur paranymphi, tristes non erunt; venient autem tempora, et quidem cum sublatus ab iis sponsus fuerit, tunc agent ieiunium.* Non rara est apud Graecos pariter et Latinos haec copulae significatio, vid. *Fritzsch.* Quaestt. Lucian. p. 9 sqq. *Schaefer.* ad Longi Pastoral. p. 351. et *Ramshorn.* gr. lat. §. 179, 3. p. 519 sq., ut mireris *Ernestium* lapsum in verbis Suetonii Neron. c. 16. *Formam aedificiorum urbis novam excogitavit, et ut ante insulas ac domos porticus essent.* Praeterea animum velim advertas ad verbosam dicendi rationem, quae inest in his *τότε ἐν ἐκείναις ἡμέραις*, simillimam ei, quae Demostheni excidit Coron. p. 288. v. 21. *τότε τοίνυν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν*; i. e. *Schaefero* interprete: *tunc igitur, illa rerum conditione.*

Cap. VI. v. 4. *οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς*]. De accusativis his tacent omnes, quamvis dativis usi fuerint in simillima structura Matthaeus et Marcus. Nimirum uterque casus sermonis legibus convenit ita, ut dativo nonnunquam videas accusativum postpositum esse. Xenoph. Cyrop. II, 1, 15. *ἔξεστι δ' ὑμῖν, εἰ βούλοισθε, λαβόντας ὅπλα — εἰς τὸν αὐτὸν ἡμῖν κίνδυνον ἐμβαίνειν.* Memorab. II, 6, 26. *ἐξῆν τοῖς κρατίστοις, συνθεμένους ἐπὶ τοὺς χείρους ἰέναι.* I, 1, 9. *ἃ ἔξεστιν ἀριθμήσαντας ἢ μετρήσαντας ἢ στήσαντας εἰδέναι*, quibus alia exempla addidi omnibus.

v. 10. *περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς εἶπεν αὐτῷ*].

Qui tacet, consentit. Pharisaei quoniam contrarium eius, quod Christus expectaverat, respondere nec poterant commode nec volebant, idcirco sanavit aegrotum Christus. Post verba *ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ* in multis codicibus *ὑγιής* scriptum legitur, quod tamen ut ex Matth. XII, 13. illatum nuper coeperunt omittere: nescio, quam recte. Per se enim nihil habet adiectivum, in quo quis iure haesitet, quippe proleptico, quem vocant, usu usurpatum: *restituta manus eius est, ita ut sana esset, sicut altera.* Neque aliter Matthaei locus l. explicandus, Act. XIV, 10. *ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός*, atque fortasse verba, si germana sunt, cap. XIII, 35. *ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος*, quae *Marklandus* illustravit ad Lysiae Oratt. T. V. p. 293. Reisk. Ex eodem dicendi genere est Eurip. Med. 51. *πῶς σοῦ μόνη Μήδεια λείπεσθαι θέλει; qui fit, ut Medea a te relinqui, ut sola sit, velit?* Parum recte *Schuetzius*

versatus est in interpretandis his Aeschyli Pers. 705. πολλὰ δ' ἐκ χέρσου κακὰ γίγνεται θνητοῖς, ὃ μάσσων βίοτος ἦν ταθῇ πρόσω. In Demosth. Orat. pro Corona p. 309. v. 2. gemina esse censet ταῦθ' ὡς ἐλάχιστα συστεῖλαι *Schaeferus* p. 321. ubi quae comparavit similia, his ditabis collecta ab *Winero* gr. §. 51. p. 192. P. II. p. 172 sq.

v. 19. ἐζήτει ἅπτεσθαι].

Frequenter ζητεῖν in scriptura sacra cum infinitivo iungitur, rarius apud ceteros graecos. Vid. Memorab. IV, 2, 4 sq. 5, 11. ζητεῖτε τὴν ἀλήθειαν εὑρεῖν Demosth. p. 874. v. 23.

v. 20. Μακάριοι οἱ πτωχοί].

Animadversione non indignum, quae Matthaeus tertia persona usus universe ad omnes homines relata voluit, ea Lucam secunda persona adhibita ad eos, qui aderant, Christum audituri docentem, quam ad cunctos homines dirigere maluisse. Sequentia enim manifesto postulant, ut cogitando suppleatur Μακάριοί ἐστε οἱ πτωχοί etc.

v. 23. κατὰ ταῦτα cl. v. 26.].

Sic an κατὰ ταὐτά scribendum sit, ambigere video interpretes. Receptam confirmat Matth. V, 12. οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας: etenim κατὰ ταὐτά est i. q. ὡσαύτως *eadem ratione*, idque utroque loco apud Lucam bonae notae codices exhibuerunt, quos certe non credibile est ad Matthaei locum l. mutatos fuisse. Nam quod κατὰ τὰ αὐτά libri plerique videntur habere, noli ex κατὰ ταὐτὰ ταῦτα depravatum putare, sed perpetuam hanc scito in codicibus scribendi varietatem deprehendi. E contrario κατὰ ταὐτά

XVII, 30. praeter codicum fidem quae in vicinia leguntur commendant. Etiam *κατὰ τὸ αὐτό* Lucas dedit Act. XIV, 1. Cf. Schulz. h. l.

v. 29. *ἀπὸ τοῦ αἴροντος — μὴ κωλύσῃς*].

Latine reddunt: *ab eo, qui auferre vult tibi pallium tuum, eripi tibi etiam sine tunicam*, ad sensum sine dubio recte, verba tamen insolenter sunt composita, nec memini sic concinnata reperiri *ἀπό τινός τι κωλύειν*. Magis legitimum fuisset *τὸν αἴροντά σου τὸ ἱμάτιον μὴ κωλύσῃς αἴρειν καὶ τὸν χιτῶνα*, vel *ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον καὶ τὸν χιτῶνα μὴ ἀποκρύψῃς*. Quibus conflatis constructionibus durities receptae orta est, quam simili ratione explanavit Wahl. Clav. I. p. 872. Ceterum ut illic *αἴρειν* mente repetendum erat, ita praegressa patet sic explenda esse: *πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην σιαγόνα τύπτεσθαι*, pariterque Matth. V, 39. *στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην σιαγόνα ῥαπίζεσθαι*.

v. 32. *καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοί*].

Praegressa quaestio negantem postulat responsionem, ad quam respicientes voculae *καὶ γάρ* vertendae sunt: *nam peccatores quoque eos, a quibus amantur, amant*. Idem valet de sequentibus.

v. 39. *εἰς βόθυνον πεσοῦνται*] imo *ἐμπεσοῦνται*, quod est in Mss. BDLP 1. 69 etc. Jerem. XXXI, 44. *ἐμπεσεῖται εἰς τὸν βόθυνον*. Postea XIV, 5. quum plerique omnes libri *εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται* intactum servaverint, tamen non defuerunt, qui verbum simplex inferrent. Cf. X, 36. I. Tim. III, 6 sq. VI, 9.

Cap. VII. v. 1. Ἐπεὶ δὲ — τοῦ λαοῦ].

Verba ἐπεὶ ἐπλήρωσε πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ quoniam respondent latinis: *postquam omnia, quae voluerat, dixerat*, recte subiici poterant haec εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, *in aures populi*, i. e. si quid video, *sic ut populus auribus et animis doctrinas eius percipere et intelligere posset.* Etenim ἀκούειν cum cognatis vocibus saepissime non tantum audiendi sed etiam percipiendi et intelligendi notionem complectitur, ut mirum quantum langueat sententia, quam alii interpretes vertendo eliciunt: *coram populo*, s. *audiente populo.*

v. 4. Οἱ δὲ παραγενόμενοι — σπουδαίως].

Secus dicuntur §. 14. οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν, aliaque innumera, quae huic participio cum articulo coniuncto similia sunt, a quibus quo melius distinguantur talia, qualia h. l. habemus, hunc in modum enucleanda: οἱ δὲ παρεγένοντο πρὸς τὸν Ἰησοῦν καὶ παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως, non inepte quis inter οἱ δὲ et παραγενόμενοι inciso minimo interpunxerit *). Lapsus est in his *Kuinoelius* cap. VIII, 4. Συνιόντος

*) Ad hanc ambiguitatem evitandam, ubicunque ut in (ὁ δέ, οἱ μέν pronominis demonstrativi vicem sustinet articulus, possis etiam cum accentu scribere ὅ, οἵ, idque *Hermanno* praeeunte, qui ad Sophoclis Oed. Col. 1020. „Docere potest hic locus, inquit, non temere negligendam esse rectam, etsi non vulgo probatam accentuum rationem, siquidem aliud est οἱ μὲν ἐξηρπασμένοι, aliud ὁ μὲν ἐξηρπασμένοι σπεύδουσι, quorum alterum est *rapti festinant*, alterum *hi festinant rapti.*“ Quae scripta esse videntur ratione *Buttmanni* habita, qui gram. max. §. 75. p. 305 sq. et Addend. II. p. 414, in diversam partem hac de re abierat. Vid. VI, 8. VII, 40. Rom. XIV, 2. Secus habet ὁ μέν VIII, 5. ubi vid. not.

δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτόν interpretando: „*cum iam magna populi multitudo convenisset; et ii qui e singulis civitatibus ad eum accederent*, convenissent; καὶ sol. συνιόντων.“ Praeferenda est conversio aliorum: *cum autem multa turba conveniret, et qui in singulis urbibus erant, proficiscerentur ad eum*, quasi graece scriptum esset: ἐπεὶ δὲ συνῆει ὄχλος πολύς, καὶ οἱ κατὰ πόλιν ἐπεπορεύοντο πρὸς αὐτόν, i. e. καὶ οἱ κατὰ πόλιν ὄντες ἐκ τῶν πόλεων ἐπεπορεύοντο πρὸς αὐτόν. Sed ne longus sim, concinniorem et veriorem puto hanc interpretationem esse: *cum autem convenirent multi homines etiam eorum, qui in singulis oppidis habitantes inde ad eum accederent.* Ad eos igitur, qui rure ad eum confluxerant, insuper etiam ex oppidis, quae Christus attigit, alii advenerunt. Haec interpretatio si cui probabitur, incisum post πολλοῦ non poterit non delere. Paulo post de formae παρέξει integritate eo vehementius dubito, quoniam nec aliunde video simile quid ex sacris scriptis allatum esse, et libri manu exarati ABDL aliique παρέξῃ tuentur, quod qui pro futuro activi positum opinetur, eum monere poterit locus Act. XIX, 24. παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν. Nec *Matthiae* gr. gr. p. 935. edit. sec., quo *Winerus* gr. §. 32. extrem. usus est, hanc explicationem excusabit. Cf. *Kusterus* de verbis mediis I, 49. *Wahl.* Clav. II. p. 266. ed. sec. et Xenoph. Agesil. I, 38. ὅτι οὐ πλάστην τὴν φιλίαν παρείχοντο.

v. 7. διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν].

Intellige sic: *quare nec me ipsum dignum con-*

sui, qui ad te venirem, darum habe ich mich selbst auch nicht für würdig gehalten, zu dir zu kommen, quemadmodum nolui meam domum tu intrares. Aliter οὐδέ accipiendum v. 9. οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον, nimirum sic: *ne apud Israelitas quidem tantam fidem deprehendi*, nedum apud Romanum, paganumque hominem. Cf. VI, 3. Ad accusativum ἐμαυτόν quod attinet, huius eadem ratio est atque Act. VIII, 9. λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, infra XXIII, 2. λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι, Herodt. II, 2. ἐνόμιζον ἑωυτοὺς πρώτους γενέσθαι πάντων ἀνθρώπων, Platon. Cratyl. p. 173. A. Οἶμαι μὲν - ληρεῖν με, Xenoph. Cyrop. VII, 2, 22. ἔγνων ἐμαυτὸν μὴ ἱκανὸν ὑμῖν μάχεσθαι, Lucian. Dial. Deor. XVII, 1. συνεὶς ἐν ἀφύκτῳ ἐχόμενον ἑαυτὸν ἱκέτευε. Sed haec sufficiant ad constructionem perspiciendam, quam certatim illustrare studuerunt *Heinderf.* ad Platonis Euthyd. p. 414 sq. *Schaeferus* Apparat. Demosth. II. p. 720. *Winer.* gr. P. II. p. 110 sq. egoque ipse ad Cyrop. VII, 2, 22.

v. 8. Καὶ γὰρ ἐγὼ — στρατιώτας] i. e. *nam ego quoque homo sum aliorum imperio subiectus, milites habens sub potestate.* Nostrates dixerint: *denn auch ich bin ein Mann, der unter höhern Befehlen steht, und habe selbst Soldaten unter mir.* Quae subiiciuntur πορεύθητι καὶ πορεύεται etc. admonent verborum praeclarorum Genes. I, 3.

etc. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר

v. 16. ὅτι προφήτης]. Abundare illud ὅτι, a me impetrare non possum, ut affirmantibus credam in-

terpretibus. Quod ubi fit, alio modo sententia constituta est. Hic certe ut paulo infra ita infertur, ut si praecessisset δοξάζομεν τὸν θεόν, ὅτι, *celebramus deum, quod magnus propheta inter nos surrexit* etc. Vid. not. ad I, 25. et XIX, 31. Ceterum praesente et imperfecto verbi ἐπισκέπτομαι, quae apud vetustiores Atticos ut rara, ita sublestae fidei sunt, vid. *Buttmann.* gr. max. II. p. 434 sq. utuntur auctor Ep. ad Hebr. II, 6. et Jacob. I, 27. Sirac. XVII, 32.

v. 29. 30. *Καὶ πᾶς ὁ λαὸς — ὑπ' αὐτοῦ*]. Qui Christi haec, non Evangelistae verba esse demonstrare conati sunt, gravissimo argumento usi sunt hoc, quod membrum illud εἶπε δὲ ὁ κύριος versui 31. vulgo praemissum adulterinum esse criticae rationes evincant. Concedo eiiciendum esse, quod tantum non omnes optimae libri notae damnari iubent, at id ipsum tamen additamentum ostendit, a veteribus quibusdam interpretibus praegressa 29. 30. non ad Christum sed ad Evangelistam auctorem relata fuisse; non enim adiecissent, opinor, nisi cavere voluissent, ne quis lectorum v. 31 sqq. Lucae attribueret. Deinde Christus v. 24. dicitur λέγειν πρὸς τοὺς ὄχλους περὶ Ἰωάννου· τί ἐξεληλύθατε etc. secunda usus persona adeo v. 28. λέγω γὰρ ὑμῖν. Nonne igitur probabile erat, Christum v. 29. hunc fere in modum perrecturum fuisse Καὶ ὑμεῖς οἱ ὄχλοι καὶ οἱ τελῶναι ἀκούσαντες (ἐμέ an Ἰωάννην?) ἐδικαιώσατε τὸν θεὸν — οἱ δὲ Φαρισαῖοι κ. τ. λ.? Denique post effatum Christi tam egregium tamque grave, de semetipso et Johanne dictum v. 28. quantopere, si Christi esse

putemus, languent frigentque verba v. 29 sq. adnexa! Nimirum non ignoravit populus, quocum Christus hic loquutus esse creditur, quis Johannis lavacrum admisisset, quis sprevisset. Imo Lucae ipsius in his habemus adnotamentum ex eo genere, quod nostri homines textis subiicere, prisci vero scriptores quum ceteri omnes, tum sacri saepissime ipsis textis inserere consueverunt. Cuius adnotationis sententia haec est: praeclaris his Christi de Johanne iudiciis praeceptisque idem, quod ceteris Christi doctrinis, effectum est, scilicet ut consilia divina probaret quidem populus, sed improbarent Pharisaei, quique legis periti esse existimabantur. Ceterum nihil plane obstat, quo minus aor. ἐδικαίωσαν, ἠθέτησαν plusquamperf. vim tribuas. In eo autem falli *Kuinoelium* apparet, quod εἰς ἑαυτούς pro dative commodi vel potius incommodi positum ratus formulam hanc explicavit: *suo malo, suo maximo detrimento reiecerunt Dei voluntatem*, ceteroquin iure repudiatis perversioribus aliorum interpretationibus. Nollem tamen omisisset eam, quam unice veram puto, a *Paulo* videlicet prolatam: *ad ipsos quod attinebat, quantum ab ipsis pendebat, in Beziehung auf sich, für ihre Person.* Alios enim passi sunt Johannis doctrinae adhaerere, ipsi ea abstinebant. Sophocles articulo praefixo quae scripsit Oed. Reg. 699. τό γ' εἰς ἑαυτόν, redduntur ab editoribus: *quod ad se ipsum attinet.*

v. 35. καὶ ἐδικαιώθη — πάντων]. Longum esset omnia enarrare, quae de hoc loco intellectu perdifficili ab interpretibus vel probabiliter vel secus scripta

sunt, praesertim quum ipse non habeam, quo adversariorum copias in fugam conversas devincam. Quanquam quo maior est diversarum explicationum cumulus, quo haec verba premuntur, eo mihi, ut spero, facilius condonabitur novam interpretandi viam inituro. Mihi enim haec non Evangelistae sed eorundem hominum videntur verba esse, quibus adscribuntur praegressa Ἰδού, ἄνθρωπος — ἁμαρτωλῶν, neque simpliciter illa accipienda, sed acerba cum ironia in Christum et Johannem eorumque discipulos dicta hoc sensu: *et dicitis* (cl. not. ad v. 16.): *probari, spectari solet sapientia, quae Johannis et Christi propria est* (ἡ σοφία, *non* σοφία), *in filiis eius omnibus*, i. e. in fructibus eius omnibus: τὰ τέκνα τῆς σοφίας appellantur, opinor, quae procreat sapientia et exserit. Procreat autem nihil nisi optima quaeque i. e. ironice intellectum: pessima quaeque. Paucis ut complectar, sententia est eadem, quam Christus persequutus est VI, 44 sqq.: *ex omnibus, quae faciunt, quam inanis sit eorum sapientia, licet perspici*, ἀπὸ τῶν καρπῶν ἐπεγνώσθησαν οὗτοι οἱ σοφοί. Lucas ipse XVI, 8. laudavit τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός, atque Sirac. IV, 11. scripsit: ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῇ ἀνύψωσε. Vid. *Vorst.* Hebraism. cap. XXIV. p. 47 sqq. et *Schleusner*. Nov. Thesaur. V. T. P. V. p. 366. 281. Non diffiteor tamen, hunc verbi δικαιοῦν usum ab insolentiae specie neutiquam immunem esse, ac diu est quum in codicibus repertum mallem, non ΕΔΙΚΑΙΩΘΗ sed ΕΔΙΚΜΗΘΗ i. e. ἐλικμήθη, *comminuta, deleta est sapientia per ipsius alumnos*, *die Weisheit wurde von Seiten ihrer*

eignen Zöglinge zerstreut, vernichtet. Ipsi illi, qui sapientiam profitebantur, perversos sequuti mores effecerunt, ut sapientia ipsa e medio videretur sublata esse. De praepositione *ἀπό*, cuius vis in his scriptis proxime ab *ὑπό* abest, vid. *Winer.* gr. P. II. p. 133.

v. 37. *ἐπιγνοῦσα ὅτι ἀνάκειται*]. Ne quis haereat in praesentis indicativo, comparet Memor. II, 7, 12. *διηγεῖτο ταῦτά τε καὶ ὅτι αἰτιῶνται αὐτὸν μόνον τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀργὸν ἐσθίειν*, quaeque similis coloris ibidem collegi, praeterea *Winer.* gr. §. 34. p. 116. P. II. p. 84. 10. Luc. XXIV, 21. Mirum, quod *Kuinoel.* h. l. adnotare potuit: „Ingeniosa est et perquam probabilis *Pauli* coniectura, cll. v. 41 sqq. 46 sq. hunc Pharisaeum Jesu ope sanatum fuisse a morbo quodam, quem sibi contraxisset peccatis suis, levioribus tamen illis, quam quae commisisset femina ista peccatrix, a Jesu quoque morbo graviori paulo ante liberata etc.“ plane immemor eorum, quae ad cap. V, 17. inter alia scripserat: „Cum vero nuspiam (scrib. nusquam) legatur, Jesum Phariseos legisque peritos sanasse, cum homines isti v. 21. eum calumniati esse dicantur etc.“ Haec veriora illis iudicanda sunt, nec dubitandum, quin omnia, quae de Pharisaeo hic narrantur, negligentiae documenta in servatorem exhibita, ex istorum hominum superbia et arrogantia facile deduci possint et explicari. Peccatorem certe Pharisaeum quoque Christus habuit v. 41.

v. 46. *Ἐλαίῳ τὴν κεφαλὴν — τοὺς πόδας*]. Nihil inter *ἔλαιον* et *μύρον* interesse, eccui unquam con-

sentaneum videbitur? Ad lavandos pedes Pharisaeus ne aquam quidem suppeditaverat, mulier contemta aqua lacrymis suis Christi pedes irrigaverat; Pharisaeus ne osculum quidem intranti dederat, mulier eum deosculari (vid. Memor. II, 6, 38.) non desierat. Vides in his iam quantopere virum mulier praestiterit. Sicut autem caput v. 46. pedibus opponitur, ita quis dubitet idem fieri in oleo et unguento? Vulgatius erat illud, exquisitius hoc, haud secus et apud Graecos, qui quale inter utramque rem discrimen fecerint, ostendit Xen. Conviv. II, 3. *ἐλαίου δὲ τοῦ ἐν γυμνασίοις ὀσμὴ καὶ παροῦσα ἡδίων ἢ μύρου γυναιξὶ καὶ ἀποῦσα ποθεινοτέρα.* Nihil in contrariam partem comprobare LXX. possunt, hebr. שֶׁמֶן modo voce *ἔλαιον* modo *μύρον* reddendo. Gravius enim *) sententiarum nexus loquitur. Vid. *Grotius.*

v. 47. *αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησε πολύ*]. Ad graviora attenti interpretes illa *αἱ πολλαί* tantum non neglexerunt: quaeritur enim, utrum reddi oporteat *peccata pleraque* an *peccata, quae multa sunt.* Utrumque constat sermonis leges admittere, sed praestat sine dubio posterius, tum quia prior explicandi ratio a Christi mente abhorret v. 48. dicentis *ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι*, tum quia aptius inter se referuntur: *multa*, quae admisit, peccata condonantur mulieri, quia *multum* amavit, quam „quia multum amavit, pleraque peccata eius condonantur.“ Argumentatio ipsa, nisi fallor, melius processisset,

*) Paulo ante v. 44. *Schulz.* corrigere oblitus est a *Griesbachio* in textis relictum *θριξί αὐτῆς.* Recte idem X, 37, *εἶπεν δέ* laevigaverat.

si statim Christus subiecisset: ὃς δὲ ὀλίγον ἀγαπᾷ, ὀλίγον ἀφίεται sc. αὐτῷ, *qui autem parum amat, huic parum condonatur.* Hoc ipsum certe voluit cod. F. cum Aeth., ex quibus in lucem protractum video ὀλίγον ἀγαπᾷ, ὀλίγον ἀφίεται. Utut explicari vulgatam placebit, illud minus est incertum, ἀγαπᾷ non magis per futurum posse exprimi, quam ἀφίεται per verba: *er ist der Vergebung bedürftig*, quasi ἀφιετέον ἐστι scriptum esset. Vid. *Theile* in *Wineri* stud. exeg. I. p. 183.

Cap. VIII. v. 1. καὶ οἱ δώδεκα — γυναῖκές τινες]. Noli ἦσαν supplere, sed cum haec artissime praecedentibus adhaereant, διώδευον. De v. 4. dictum supra ad cap. VI, 4.

v. 5. ὃ μὲν] sc. τοῦ σπόρου, quod idem ad v. 6. 7. καὶ ἕτερον cogitatione addendum est: *pars seminis, pars seminis.* Vellem hunc relativi pronominis usum in grammatica sua pertractasset *Winerus*, quem P. II. p. 172. non latuit μέν et καί apte inter se referri posse, interim consule *Fischer.* ad Weller. P. I. p. 332. *Matthiae* §. 289. nec erat, quare *Wyttenbachius* ad Plutarchi Apophth. p. 1063. Plutarchum in iis esse diffideret, qui sibi hoc licere existimaverint.

v. 14. καὶ ὑπὸ μεριμνῶν — τελεσφοροῦσι]. Nemo non in participio πορευόμενοι haesit, quod alii abundare dicunt, alii processum temporis significare. Neque meliora sunt, quae *Valckenarius* notavit, participium iubens cum ἀκούσαντες iungi atque ita verti: *qui postquam audiverunt*, recedentes, vel abeun-

tes, *huius vitae curis ac sollicitudinibus suffocantur*, acsi graeca sic haberent: *οὗτοί εἰσιν οἳ, ἀκούσαντες, ὑπὸ μεριμνῶν — πορευόμενοι συμπνίγονται.* Sed tam infinitus est locorum numerus, simillimum praepositionis *ὑπό* usum confirmantium, ut cur *ὑπὸ μεριμνῶν* etc. *πορεύεσθαι* minus quam *ὑπὸ μεριμνῶν* etc. *συμπνίγονται* coalescant, idoneam causam non perspiciam. Ipse *Valckenarius* ad Herodt. VII, 22. praeter verba eiusdem scriptoris c. 56. *τὸν στρατὸν ὑπὸ μαστίγων διαβαίνοντα* comparavit Thucyd. V, 70. *χωροῦντες — ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν* aliaque haud pauca eiusdem generis, quae cum aliis aliquot exemplis ditavit *Matthiae* gr. §. 592. p. 1186. tum hoc Aristoph. Lysistr. 3. *οὐδ' ἂν διελθεῖν ἦν ἂν ὑπὸ τῶν τυμπάνων.* Ex abundanti adiicere libet *Hermanni* adnot. ad Sophoclis Electr. v. 620. *ἐάσεις οὐδ' ὑπ' εὐφήμου βοῆς θῦσαί με:* „Praepositionem *ὑπό*, ut apud nos *unter*, idem esse quod *μετά* vel *σύν*, pervulgatum est, neque opus erat exemplis, quae in eam rem congessit Blomfieldius.“ Praeterea *συμπνίγονται* si idem est atque *συμπνίγουσι τὸν λόγον*, quo pacto *ὑπό* cum activo iunctum significet: *per nimiam curam — suffocant*, difficile est ad intelligendum. Imo passivam vim ne sollicites, cum hoc sibi Lucas voluerit: *inter curas et inter divitias vitaeque delicias vitam degunt et una cum doctrina, quam acceperunt* (*σὺν τῷ λόγῳ πνίγονται*), *suffocantur*, i. e. perduntur, pereunt, non maiorem praeceptorum fructum ferentes, quam semina illa inter spinas consita. Germanice dicas: *und unter Sorgen, Reichthum und den Freuden des Lebens wandeln sie*

dahin und ersticken (*gehen verloren*), *ohne ihre Bestimmung zu erreichen.*

v. 15. οἵτινες — ἀγαθῇ, ἀκούσαντες, τὸν λόγον κατέχουσι]. Falsissimam hanc *Knappii* et *Vateri* interpunctionem esse, clarissime docet Marc. IV, 20. οἵτινες ἀκούουσι τὸν λόγον καὶ παραδέχονται. Nimirum etsi potuit, tamen noluit Lucas plene scribere ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἤκουσαν τὸν λόγον καὶ κατέχουσιν. Jure igitur *Schulz.* incisa illa delevit.

v. 17. καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ] i. e. καὶ ὃ μὴ εἰς φαν. ἔλθῃ. Non enim patitur coniunctivus οὐ, quod recte antea cum indicativo futuri copulaverat. *Hoogeveenum* in coniunctivo hoc illustrando versatum Viger. p. 200. vituperavit *Hermann.* p. 742, cuius de sententia sensus erit: *et quod in lucem venire nequeat.* Cf. *Winer.* gr. P. II. p. 93 sq.

v. 18. καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ] i. e. οὐ μόνον οὐ δοθήσεται αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀπ' αὐτοῦ ἀρθήσεται. Quo quis minore gaudet scientia, eo fere magis sapientiam suam iactat: id quod ad eam populi Israelitici partem apprime quadrat, quae contemta Christi doctrina sua superbiebat sapientia. Eiusmodi ratiocinatione niti videntur, quae Lucas h. l. dicit: *quicunque nihil habet scientiae, ei non solum nihil dabitur, sed eripietur etiam, quod se habere existimat.* Etenim δοκεῖ temere adiectum esse neque exempla a *Kuinoelio* laudata demonstrant, neque per se probabile est. Athenaei 6, 4. verba οἱ σφόδρα δοκοῦντες πλουτεῖν ut Diodori τοὺς δοκοῦντας ἀσεβεῖν sic capias oportet: qui admodum locupletes, qui impii esse existimantur, *welche in*

dem Rufe stehen etc. De Platonis verbis Phaedon. p. 63. A. quicunque integra ante oculos habuerit: *Ἀκούσας οὖν ὁ Σωκράτης ἡσθῆναί τέ μοι ἔδοξε τῇ τοῦ Κέβητος πραγματείᾳ*, sponte unusquisque statuet. Memor. IV, 2, 20. *δοκῶ δέ μοι καὶ ταῦτα οὐκ οἶδ' ὅπως λέγειν* verte: *doch kommt es mir vor, als könnte ich auch dieses nicht behaupten.* Maiore cum specie trahi hic poterant, quae laudavi ad Cyrop. I, 1, 1. sed et haec sunt diversi modi, et *δοκεῖ* in Platon. Crit. p. 43. D. *Οὔ τοι δὴ ἀφῖκται, ἀλλὰ δοκεῖ μέν μοι ἥξειν τήμερον* abundare neutiquam *Stallbaumio* crediderim. Reperiuntur aliis in locis alia, quorum bonam partem recte ab abundantiae suspicione defendit etiam *Winer*. l. l. p. 193. nostrum locum interpretatus *was er glaubt* (*recht fest*) *zu besitzen*, bene sine dubio, si ab additamento illo minus necessario decesseris.

v. 20. *ἀπηγγέλη αὐτῷ λεγόντων*]. Cave *Vatero* fidem habeas ad genitivum participii neganti *αὐτῶν* vel *τινῶν* (*τίνων* male scripsit) supplendum esse. Contra „post passivum, inquit, *ἀπηγγ.* ad genitivum illum supple: *verba.*" Sed haec ellipsis nova est nec admittenda. Recte Beza: *dicentibus nonnullis.* Cyrop. VII, 5, 73. *ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ χρήματα.* Consulas potius *Matth.* gr. §. 563. *Hermann.* ad Viger. p. 776. 226. *Winer*. gr. §. 53, 3.

v. 24. *ἐπιστάτα, ἐπιστάτα*]. *Kuinoel:* „repetitio huius vocis pingit anxietatem discipulorum, male igitur in nonnull. codd. ea semel tantum legitur." Diplasiasmum vocant rhetorices magistri, non tan-

tum anxietatem, ut in κύριε, κύριε XIII, 25, sed etiam nunc iram, ut in his σταύρωσον, σταύρωσον αὐτόν XXIII, 21, nunc dolorem, nunc aliam animi affectionem cum gravitate exprimentem. Eurip. Phoeniss. 1033. Pors. ἔβας, ἔβας, 1049. ἰήϊον βοὰν, βοάν, ἰήϊον μέλος, μέλος, 1295. ἔπειγ', ἔπειγε, Aristoph. Lysistr. 831. Dind. ἄνδρ', ἄνδρ' ὁρῶ προσιόντα παραπεπληγμένον, Plutarch. Romul. 64. ἐβόων ὕδωρ, ὕδωρ, quae cum aliis comparavit *Dorvill.* ad Charit. p. 321 sq. Lips., τότε δή, τότε πάντες Demosth. Apparat. *Schaef.* II. p. 79. οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν p. 280. cll. Tom. I. p. 331. 341. *Heindorf.* ad Platon. Euthydem. p. 343. λοιδόρει, λοιδόρει et *Ast.* ad eiusdem Legg. p. 5 sq.

v. 29. πολλοῖς γὰρ χρόνοις] i. e. *seit langen Zeiten*, i. q. ἐκ χρόνων ἱκανῶν v. 27. vid. *Winer.* §. 24. n. 4. *Photius* Lex. p. 523. Porson. Lips. Τρίτῳ καὶ τετάρτῳ ἔτει: ἀντὶ τοῦ πρὸ τριῶν καὶ τεσσάρων ἐτῶν. Annos cur cum *Kuinoelio* cogitemus, nihil causae est.

v. 31. παρεκάλει] παρεκάλουν, quod praestantissimi codices commendant, nisi ad exemplum v. 32. effictum est, malim ad discipulos Christi (v. 22.) referri, quam ad nomen δαιμόνια, cui plurali παρεκάλουν adnecti potuisse docte ostendunt *Kuinoel.* et *Winer.* gr. P. II. p. 127. Utrumcunque praeferendum putes, quod bis subiicitur, αὐτοῖς non poterit non de daemoniis dictum esse. Accedit, quod vulgari explicandi modo patrocinantur Matth. VIII, 31. et Marc. V, 12.

v. 34. ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς

ἀγρούς] nuntium eius rei in urbem et agros tulerunt, *sie meldeten es in die Stadt und in die Dörfer*, quod nonnihil differt ab his: ἀπ. ἐν τῇ πόλει καὶ ἐν τοῖς ἀγροῖς.

v. 38. ἐδέετο]. BL Cyr. ἐδεῖτο, AP ἐδέειτο, sed Ionismum adeo apud Xenophontem aliosque scriptores Atticos tuentur libri manu exarati. Vid. not. ad Anab. VII, 7, 32. Memor. III, 6. 13. ἐδέετο Genes. XXV, 21. sed Ms. A. ἐδεῖτο, Iob. XIX, 16. Lamb. Bos. ἐδέετο, Alex. ἐδεεῖτο, Psalm. LXIII, 1. δέεσθαι, *Wahl.* Clav. I. p. 260. *Sturz.* Ind. ad Dion. Cass. p. 86 sq.

v. 39. καθ' ὅλην τὴν πόλιν]. Rectissime Markland. ad Lys. Oratt. I. p. 201. Reisk.: *per universam civitatem.* Marc. V, 20. ἐν τῇ Δεκαπόλει. Cf. Lex. Xenoph. III. p. 600.

v. 42. ἀπέθνησκεν] *moritura erat.* Vid. *Wyttenbach.* ad Platonis Phaedon. p. 142 sqq. ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι, et *Heinderf.* ad §. 21. p. 34. Ibidem ὑπάγειν *Paulus* cum aliis reddidit *abire*, debebat *procedere*, ut X, 3. XVII, 14. XIX, 30. Matth. XXVI, 18. ubi vix credas *Fritzschium* hoc fugisse. *Hermann.* ad Viger. p. 864: „Eiusmodi est ὑπάγειν, fere idem quod προάγειν; et sic alia, in quibus ὑπό significare πρό putatur, attulit Thomas M. p. 666 sq.“ *Ammonius* de differentia affin. voc. p. 140: ὑπάγειν λέγομεν ἀντὶ τοῦ προάγειν, τοῦτ' ἔστιν εἰς τοὔμπροσθεν πορεύεσθαι.“ Vid. ibi *Valckenarius* et Anab. III. 4, 48. IV, 2, 16. ibique not.

v. 43. προσαναλώσασα] *cum insuper absumpsisset*, i. e. praeterquam quod per tot annos vehementissimo

morbo laboraverat, etiam omnem rem familiarem in medicos consumserat.

v. 54. *ἐκβαλὼν ἔξω πάντας καί*]. Abest hoc membrum codd. BDL 1. 118. etc. „recte," inquit *Schulz.* „nam v. 51. collato et hic a Lc. aliena et e parall. orta cognosces." Et res et verba concinunt cum Act. IX, 40, ubi Tabitham mortuam in vitam revocaturus Petrus narratur: *ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος, θεὶς τὰ γόνατα προςηύξατο*, in quibus cum libri cuncti consentiant, facilis erit coniectura, ex similibus similia alieno loco intrusa fuisse. Ceterum dicendi verbositatem, quam verba *ἐκβάλλειν ἔξω* redolent, neutiquam a Graecitate abhorrere docebitur ad XXII, 62.

Cap. IX. v. 1. *καὶ νόσους θεραπεύειν*]. Opinabar olim plenius scribendum fuisse *καὶ ἐξουσίαν θεραπεύειν νόσους*, sed ne hoc quidem supplemento opus est, ut apparet ex loco gemino Anab. I, 2, 27. *Συέννεσις μὲν ἔδωκε Κύρῳ χρήματα πολλὰ εἰς τὴν στρατιάν, Κῦρος δ' ἐκείνῳ δῶρα, ἃ νομίζεται παρὰ βασιλεῖ τίμια, ἵππον χρυσοχάλινον καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν καὶ ψέλλια καὶ ἀκινάκην χρυσοῦν καὶ στολὴν Περσικήν, καὶ τὴν χώραν μηκέτι ἀφαρπάζεσθαι· τὰ δὲ ἡρπασμένα ἀνδράποδα, ἤν που ἐντυγχάνωσιν, ἀπολαμβάνειν.* Cum infinitivo *δίδωμι* quam crebro Graeci iunxerint, testabitur etiam *Matthiae* gr. §. 532. a.

v. 3. *μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν*]. *Pauli* causa *ἀνὰ δύο* incisis circumdantis monendum est constructionem esse *μήτε ἔχειν ἀνὰ δύο χιτῶνας*, *neque habere binas tunicas*, vid. *Viger.* p. 576. *Matthiae*

§. 579, 3. et *Valckenar.* h. l., minime sic, qui eiusdem interpretis error est, ut ab hospitibus acceptas vel tunicas vel panem vel baculum vel ceteras res antea commemoratas efferant, sed, ut, si altera tunica in itinere attrita fuerit, altera in eius locum succedat. Vid. Matth. X, 9. Marc. VI, 8. Ad ἀνά quod attinet, in edit. tertia gr. suae corriget, opinor, *Winerus*, quae scripsit §. 45. p. 162. „*ἀνά kommt im N. T. blos in den Redensarten ἀνὰ μέσον, ἀνὰ μέρος vor, und hat keine Schwierigkeit.*" praesertim quum ipse ibid. p. 101. ἀνὰ δύο ex nostro loco laudaverit. Cf. X, 1. Ne numeri quidem iteratio δύο δύο, cuius ibi mentionem iniecit vir eruditissimus, adeo a Graecitate aliena est, ut videatur ex hebraea lingua oportere repeti. Sic Aeschylus Pers. v. 915. μυρία μυρία dixit pro κατὰ μυριάδας interpretibus *Langeo* et *Pinzgero*, quos consules. Difficilior ad explanandum altera quaestio est, infinitivus ἔχειν num imperativi locum sustineat, an verbis μήτε ῥάβδον etc. simul iungendus sit, vid. *Winer.* §. 38. p. 137. Ac iungitur quidem in eadem periodo imperativus cum infinitivo (vid. Gregor. Corinth. p. 424. *Schaef.*), sed non sine certis quibusdam legibus, quae nescio, an ab h. l. alienae sint. Possis statuere, quod est ex more graecae linguae, infinitivum ἔχειν ita inferri, ut si non αἴρετε, sed βούλεσθε, θέλετε vel simile aliud praecessisset; at simplicius est, nisi fallor, post εἰς τὴν ὁδόν suppleri animo ὥστε ὑμᾶς hoc sensu: *ita ut neque baculum — neque binas tunicas habeatis.* Rectius tamen talia hodie sine ulla ellipsi explicant *Schaeferus* ad

Eurip. Med. Porson. 1396. ed. tert. et *Bremius* ad Lysiae Oratt. sel. p. 230.

v. 5. *ὅσοι ἂν μὴ δέχωνται — καὶ τὸν κονιορτόν*]. Accuratius haec inter se referrentur, si scripsisset Lucas vel *ἐν ᾗ ἂν πόλει μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι ἀπ' ἐκείνης καὶ* vel *ὅσοι ἂν μὴ δ. ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνων καὶ τὸν κονιορτὸν κ. τ. λ.* Cf. ad X, 8. not. Illud *καί* est *vel*, *adeo*, ut nihil sit inconsideratius, quam, quae artissime cohaerent, distinctione post *ἐκείνης* posita dirimere, verum hoc in genere plura egregie emendavit *Schulzius*. Geminus locus est Aristoph. Avv. 1735. *διὰ σὲ τὰ πάντα κρατήσας καὶ πάρεδρον Βασίλειαν ἔχει Διός.*

v. 13. *οὐκ εἰσὶν ἡμῖν πλεῖον ἢ πέντε ἄρτοι — εἰ μή τι — ἀγοράσωμεν*]. Non debebat *Kuinoelius* communem plerorumque interpretum explicationem deserere: *non sunt nobis plures quam quinque panes et duo pisces, nisi forte digressi emamus cibos huic tantae multitudini.* Nihil in his neque ironiae neque admirationis cum indignatione coniunctae, erratque *Kypkius*, *εἰ μή τι* arbitrans directam interrogationem constituere. Praeter coniunctivum *ἀγοράσωμεν* post *εἰ* illatum, ut in paucis illis, quae collegit *Winer*. gr. §. 35. *β*) p. 125. P. II. p. 98. 11. incertae fidei, qui vernaculis videtur respondere: *wir müssten denn etwa kaufen sollen*, notandum est etiam *πλεῖον* extra structuram positum: quod dicendi genus quantopere frequentatum fuerit, si qui forte ignorant, discant ex *Lobeckii* Phryn. p. 410 sq.

v. 19. *Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν*]. Ante haec omissa *οἱ μέν* addidit Matthaeus; referri enim inter se debe-

bant οἱ μέν et ἄλλοι δέ — ἄλλοι δέ, id quod factum vides Antholog. Palatin. T. II. p. 414. n. 343. ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ λεχέων — θέλγει, ἄλλος δ' ἐς θαλάμους — κατέχει, ubi consulatur *Jacobs*. Sed ὁ μέν cum alii alias scriptores ponere neglexerunt, tum Xenoph. Hellen. I, 2. 14. ᾤχοντο ἐς Δεκέλειαν, οἱ δ' ἐς Μέγαρα, Platonis Legg. p. 627. A. τὸ κρείττω δὲ αὐτῆς εἶναι λέγεις τινά, τὴν δ' ἥττω, quod ita illatum ait *Aet.* Animadverss. p. 18, quasi τὴν μέν praecesserit. Praeter *Aetium* l. l. eandem rem tractarunt ad *Viger.* p. 4. *Bremi.* ad Demosth. Oratt. sell. sect. I. p. 23. 273. *Stallbaum.* ad Platon. Protag. p. 84. et ad Cyrop. III, 2. 12. a nobis excitati.

v. 28. ἐγένετο — ὡςεὶ ἡμέραι ὀκτώ]. *Kuinoelius* et *Winerus* gr. §. 51. p. 187 sq. P. II. p. 163. not. locum hunc explicaturi velim loquutionem comparaverint ὁσημέραι, ὅσαι νύκτες Viger. p. 132 sq. et Lambert. Bos. Ellips. p. 606 sq. *Schaef.*

v. 29. ἐγένετο — ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων]. Non diffitebor recte dici potuisse λευκὸς ἐξαστράπτει, sed malim tamen participium ad adiectivorum proleptico usu positorum exemplar hunc in modum explanari: *ita ut exsplendesceret.* Cf. not. ad VI, 10.

v. 36. ἑωράκασιν]. Ex codd. BLMt depromptum ἑώρακαν in causa erat, quare aliquando restituendum suspicarer ἑωράκεσαν, sed brevi intellexi optime ἑώρακαν habere, ut quo de *Maittair.* Dialect. p. 300 sq. ed. *Sturz.* huius lib. de Dial. Macedon. p. 58. et *Winer.* gr. P. II. p. 25. scripserint.

v. 38. *δέομαί σου, ἐπίβλεψαι ἐπὶ τὸν υἱόν μου*]. Mediam formam *ἐπίβλεψαι*, sat magnus codicum numerus est uncialibus litteris scriptorum, qui exhibere dicantur: quod cum istiusmodi membranae accentuum notatione soleant carere, quo pacto locum habere possit, nescire me profiteor *). Igitur de altera classe codicum minusculis litteris exaratorum dictum hoc sit necesse est. Sed in accentibus enotandis quum olim librorum scriptorum collatores negligentissimos fuisse constat, tum pauci hodie talibus minutiis eam, quam par est, impenderunt operam. Quare dubitationi locus relinquitur, an *ἐπιβλέψαι*, quod ex aliquot Matthaei codd. allatum video, omnes libri lectum voluerint. Lucas certe alibi ubivis activo huius verbi utitur, nec nisi *περιβλέπεσθαι* et *προβλέπεσθαι* tam forma quam potestate media his in libris reperiuntur. Nisi igitur *ἐπίβλεψαι* reddi placeat: *oculis te ad filium meum converte*, quod tamen Lucae oratio aliunde nota vix admittit, praestabit legi *δέομαί σου ἐπιβλέψαι*, qua ratione Act. XXV, 3. scriptum est *δέομαί σου μακροθύμως ἀκουσαί μου*, et eiusdemmodi constructionis exempla aliquot dederunt *Porson.* et *Schaefer.* l. l. cl. *Matth.* §. 531. Quod

*) „In libris, priori scriptura (uncialibus litteris) exaratis, *Accentus* et *Spiritus* ut et *distinctiones vocum* plerumque desunt, — unum vidimus fragmentum — et prophetarum codicem Marechalianum ex vetustioribus, cui hae notae adspersae fuerunt; in ceteris omnibus, quos tractavimus, vix uni aut alteri voci similes notae apponuntur.“ *Wetstenius* Proleg. ad N. T. Vol. I. p. 3. Codicem Alexandrinum convers. septuag. interprett. sine accentuum et spirituum notis exaratum esse testatus est *Lamb. Bos.* Proleg. p. XII. exeunt.

vulgo legebatur *ἐπίβλεψον*, quam facile potuit ad normam verborum Act. XXI, 39. *δέομαι δέ σου, ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι* confingi?

v. 39. *καὶ ἐξαίφνης κράζει*] sc. *τὸ πνεῦμα*. Supra cap. IV, 41. *ἐξήρχετο δὲ καὶ δαιμόνια ἀπὸ πολλῶν κράζοντα καὶ λέγοντα*, infra XI, 14. *δαιμόνιον κωφόν* commemoratur, Matth. cap. VIII, 31. *οἱ δὲ δαίμονες παρεκάλουν αὐτὸν, λέγοντες* cl. Marc. V, 12. Ibid. IX, 26. *καὶ κράξας (ὁ δαίμων) καὶ πολλὰ σπαράξας ἐξῆλθε.* Cf. Luc. VIII, 31. inprimis Act. XIX, 15. Contra *Raphelius* eumque sequutus *Kuinoel.* ad *κράζει* intellexit puerum, ad cetera verba genium malum. Non nescio, subiectum tam apud graecos scriptores quam apud hebraeos sacrosque centies quantumvis magna in vicinia mutari, sed quem locum Raphelius attulit Xenophontis Anab. I, 4, 2. *αἷς (ναυσίν) ἐπολιόρκει Μίλητον, ὅτε Τισσαφέρνει φίλη ἦν, καὶ συνεπολέμει Κύρῳ πρὸς αὐτόν*, in hoc rectius intelligendo fefellit eum Leunclavius. Vid. edit. mea. Quod subiicitur *συντρῖβον αὐτόν*, est *conterens*, *comminuens eum*, i. e. dum eum enervare non desinit; repetitos enim redintegratosque daemonis cruciatus melius praesens exprimit, quam praeteritum, cuius illud loco dictum esse putavit *Kuinoel.*

v. 44. *Θέσθε ὑμεῖς — τούτους*]. Quum nemo non, quae Christus peregisset, admiratione incredibili excepisset, fieri non potuit, quin apostolorum animi similiter affecti summa quaeque et laetissima de Messia eiusque regno in terris condendo sperarent. Quam spem tantum aberat ut Jesus aleret, ut quavis oblata occasione minueret, imo frangeret. Istius-

modi cogitationibus apostolorum animos repletos fuisse, clarissime docent quae sequuntur. Itaque quae discipulis suis privatim Christus dixit, horum vix potest alia sententia esse quam haec: nolite his populi vocibus et laudationibus nimium tribuere, indeque de me vobisque ipsis nimia sperare, sed alta semper mente repositum tenete illud, me hostium manibus iri traditum. Solenne est in explicationibus γάρ, hic illic adeo ab ipsis scriptoribus suppressum, vid. not. ad Anab. IV, 7, 10. V, 4, 34. VII, 7, 5. et Luc. II, 12. Aliter locum accepit *Kuinoel.* sed vereor, ne non aptius, nimirum sic: *memoria tenete haec* populi, hominum illorum *dicta*, *etenim ego, Messias, hostium potestati tradar.* At haec mihi non videtur satis idonea causa esse, quare illas populi laudes discipulos iusserit mente retinere: neque vero exhortatione illa, opinor, opus fuit in apostolis, qui, si quid aliud, honorifica illa hominum praeconia de Christo dicta fideli memoria servarunt celebraruntque.

v. 58. τοῦτο τὸ παιδίον]. Offendit τοῦτο, eoque magis, quia Matth. XVIII, 5. habet παιδίον τοιοῦτον ἕν et Marc. IX, 37. ἓν τῶν τοιούτων παιδίων. Suspiceris τοιοῦτο necessario rescribendum esse, sed fieri potest, ut τοῦτο significet *hoc et huic simile.* Cf. Memor. III, 9. 9. In Aeschyli Agam. 586. Schulz. θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς κατ' Ἑλλάδα δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαίοις γένος Abreschius ταῦτα per τοιοῦτα explicat. Cf. Fritzsch. Commentar. ad Matth. p. 781. Suspicio haec qualiscunque, quam pronomini obtrudi, aliquantum eo angebitur, quod *Gersdorfius* l. l.

p. 213. sibi observasse visus est: „αὕτη ἡ ἀπογραφή (Luc. II, 2.) *in der Bedeutung „diese Aufzeichnung, dieser Census“ (nämlich als blosses Subiect) ist wohl in den Schriften des Iohannes die richtige Wortstellung; im Lucas hingegen, zumal wo er, wie hier, nur selbst spricht, und keinen andern sprechen lässt, ganz fremd und ungewöhnlich* etc.“ Ab hac regula quae recedant, quum permulta ipse congesserit p. 439, tum profecto mirum est, diligentissimum alias virum ne verbo quidem nostrum locum attigisse. Quid? quod ea etiam quae regulae illi contraria esse perspexit, partim testibus adhibitis deterioribus membranis, quas constat in talibus ubique fluctuari, labefactare ausus est, partim ea usus excusatione removere studuit, quae et per se vana est, et de Iohannis oratione non minus quam de scriptoribus sacris ad unum omnibus valebit. Dixit enim „*Aber* λέγοντες· ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρ. (XIV, 30.) *ist offenbar nicht des Lucas oder Iesu Sprache, sondern Nachahmung* (μίμησις) *der Volkssprache* etc.“ Cf. X, 36. XV, 24. XVIII, 11. XXII, 15. 37. XII, 20. XIII, 8. XVII, 34. etc. Act. XIX, 25, 27.

v. 49. ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν] *quia nos non sequitur.* Loquutio bene graeca, quam exemplis adstruxerunt *Markland.* ad Lysiae Oratt. I. p. 92. Reisk. et *Lobeck.* ad Phrynich. p. 353 sq.

v. 55. οὐκ οἴδατε, οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς;] Reddunt: *ignoratisne, quo animo vos, sectatores mei, esse debeatis?* At in graecis non legitur, quod debebat, οἵου πνεύματος ὑμᾶς δεῖ εἶναι. Interrogat

potius Christus: *nonne perpenditis, quali animo vos sitis?* i. e. qualem *vos* tam atrocia Samaritanis imprecando animum prodatis? certe non humaniorem, quam modo vobis Samaritani praestiterunt.

Cap. X. v. 1. *οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι*] *quo ipse venturus erat.* *οὗ* igitur pro *οἷ* positum est, a cuius usu adverbii scriptores sacri, etiam in Septuag. translat. abstinuerunt, nisi forte rectius statuas, per attractionem haec dicta esse breviter: *quo venturus et ubi commoraturus erat.* Vereor tamen, ne anceps haec adverbii vis his in libris plane evanuerit. Idem valet de *ποῦ*, *ὅπου* vicem voc. *ὅποι* sustinentibus, vid. *Valckenar.* ad XII, 17. Ceterum neutrum adverbium commemoravit *Winer.* gr. §. 47. extr.

v. 5. *πρῶτον λέγετε*]. Graecitatis leges, ut *πρῶτον μὲν λέγετε* scriberetur, poscebant; nam *ἔπειτα* s. *εἶτα*, quo voces illae solent excipi, ab omnibus Graecis ita passim reticentur, ut mutata constructione alia quaepiam particula inferatur. Hoc loco sequi debebat v. 7. *ἔπειτα ἐν αὐτῇ τῇ οἰκίᾳ μένετε.* Exempla similis structurae vid. collecta ad Anab. VI, 1, 5. III, 2, 1. Cyrop. VI, 4, 18. *ἵπποις αὐτοὺς πρῶτον δεήσει ἀντέχειν, καὶ σιδήρῳ ὑφ' ἵππων ἰσχυριζομένῳ· ἢν δέ τις αὐτῶν καὶ ὑπομείνῃ* ibique not.

v. 7. *ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ*] *in ipsa domo* sedem vestram figite, nec de domo in domum migrate. *In eadem domo* Graeci expresserunt *ἐν τῇ αὐτῇ οἰκίᾳ.*

v. 7. *ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι*]. Matth. X, 10. *Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν*, eademque sententia non solum Tob. IV, 14. Deuteron. XXIV, 14 sq. reperitur, sed etiam in

Epicteti Dissert. lib. III. cap. 26. §. 27. p. 525. *Schweigh.* *Καὶ στρατιώτῃ μὲν ἀγαθῷ οὐ λείπει ὁ μισθοδοτῶν, οὐδ' ἐργάτῃ, οὐδὲ σκυτεῖ· τῷ δ' ἀγαθῷ λείψει; Οὕτως ὁ θεὸς ἀμελεῖ τῶν αὐτοῦ ἐπιτηδευμάτων, τῶν διακόνων, τῶν μαρτύρων* etc.

v. 8. *καὶ εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν εἰςέρχησθε, καὶ δέχωνται ὑμᾶς, ἐσθίετε*]. Constructio notabilis quidem, sed non minus graeca, quam quae huic similis est v. 5. 10. IX, 5. Matth. X, 14. ubi *Kuinoelium* non erat quare exagitaret *Fritzschius*. Etenim quae scripsit evangelista, ad sensum nihil magnopere distant ab his *καὶ ἐάν δ' εἴς τινα πόλιν εἰςέρχησθε, καὶ εἰς ταύτην* (vel *ἐν ταύτῃ*, prout vel *εἰς ἣν* vel *ἐν ᾗ* suppleveris) *οἱ πολῖται* (hi enim latent in nom. *πόλις*, ut Act. VIII, 5. v. not. ad Memor. II, 2, 3.) *δέχωνται ὑμᾶς, ἐσθ.* *et vero si quam in urbem veniatis ibique cives vos recipiant, comedite* etc., nisi quod paulo fortius per receptam idem exprimitur, Xenoph. Cyrop. I, 2, 12. *ἐν ᾗ δ' ἂν τῶν φυλῶν πλεῖστοι ὦσι δαημονέστατοι καὶ ἀνδρικώτατοι καὶ εὐπιστότατοι, ἐπαινοῦσιν οἱ πολῖται καὶ τιμῶσιν οὐ μόνον τὸν νῦν ἄρχοντα αὐτῶν ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς οἱ παῖδας ὄντας ἐπαίδευσαν*, §. 13. *ἀφ' οὗ δ' ἂν ἐξέλθωσι χρόνου, οὗτοι αὖ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη ὧδε διάγουσιν* cl. §. 7. Platon. Euthyphr. c. 3. *Ἀθηναίοις — οὐ σφόδρα μέλει, ἂν τινα δαιμόνιον οἴωνται εἶναι, μὴ μέντοι διδασκαλικὸν τῆς αὐτοῦ σοφίας· ὃν δ' ἂν καὶ ἄλλους οἴωνται ποιεῖν τοιούτους, θυμοῦνται*, in quibus ambo animadverti licet structurae genera; quae item complectitur Demosthenis p. 566. v. 7. periodus *οὐ δεῖ δὴ τὰ τοιαῦτα ἑκάστοτε τιμᾶν, οὐδὲ θαυμάζειν ὑμᾶς, οὐδὲ τὴν φιλοτιμίαν ἐκ τούτων κρίνειν, εἴ τις οἰκοδομεῖ*

λαμπρῶς ἢ θεραπαίνας κέκτηται πολλὰς ἢ σκεύη καλά, ἀλλ' ὃς ἂν ἐν τούτοις λαμπρὸς καὶ φιλότιμος ᾖ, ὧν ἅπασι μέτεστι τοῖς πολλοῖς ὑμῶν. Sed testimoniis adlegatis usum hunc pronominis relativi adstruxerunt *Schaefer*. Apparat. Demosth. III. p. 448. *Stallbaum*. ad Euthyphr. p. 17. Menon. p. 101. Gorg. p. 124. et *Matthiae* §. 481. Contrarii generis verba sunt Xen. Memor. III, 11, 4. ἐάν τις φίλος μοι γενόμενος εὖ ποιεῖν ἐθέλῃ, οὗτός μοι βίος ἐστί, quae ab *Valckenarii* sollicitationibus abunde mihi videor p. 231. defendisse.

v. 9. ἤγγικεν] *appropinquavit*, i. e. adest. Similiter cetera perfecta explicanda sunt, quae *Valckenarius* h. l. dicit praesentium significationes habere. Vid. *Winer*. §. 34, 3. Quibus si addideris, quae verissime docuit *Buttmann*. gr. max. §. 113. not. 13. p. 56 sq. cum de aliis perfectis, praesentis significatione indutis, tum de perf. κέκραγα, non poteris non dubitare, quae de liberiore regiones grammaticas usurpandi facultate, imprimisque de Ioh. I, 15. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ καὶ κέκραγε nuperrime *Theilius* disputavit Notit. Novi Commentar. in N. T. p. 5. Aliud est enim ἐμαρτύρησε καὶ ἔκραξε, aliud μεμαρτύρηκε καὶ κέκραγε, aliud denique quod Iohanni dare placuit. Qui semel clamavit ἔκραξε, qui saepius clamavit vel adhuc clamat, aut certe clamare fingitur, κέκραγε dicitur. Sed haec quia nota sunt, unum hoc non possum praeterire, et recte *Kusicoelium* ad Hesych. T. II. p. 221. Alb. κέκραγε· βοᾷ provocasse, et confirmari hoc interpretamentum scriptorum usu, v. c. Libanii T. IV. p. 712. v. 17. Reisk. ταῦτ' οὐχὶ βοᾷ; ταῦτ' οὐ κέκραγεν;

v. 18. Ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν — πεσόντα] i. e. τὸν σατανᾶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσοῦσαν s. ὡς ἀστραπὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσεν. Marc. I, 10. εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὸ πνεῦμα ὡς περιστερὰν καταβαῖνον. Cf. Act. X, 11.

v. 20. χαίρετε δὲ μᾶλλον] *sed potius gaudete.* Haec enim vis est vocularum μᾶλλον δέ, siquidem vera praecepi ad Cyrop. V, 4, 49. Memorab. III, 13, 6. Sic etiam Matth. X, 6. 28. δὲ μᾶλλον Thucyd. I, 123. Verum h. l. μᾶλλον suspectum reddunt codices, ut solum δέ vertendum sit *sed.*

v. 26. ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις;] Non male fortasse interrogandi signo, quod ante πῶς comparet, sublato omnia haec in unum coniunxeris: *quomodo legis, quod in lege praescriptum est?* Quod nisi placeat, ut minus simpliciter dictum et familiari sermoni accommodatum, saltem ab errore abstinendum erit, cui si qui πῶς ab τί nihil hic differre putarunt, indulserunt. Quo probato nihil magnopere quod non iam interrogatum fuerit, altera quaestio continebit: imo πῶς non sine ironia dictum videtur: *quonam pacto recitas*, intelligis haec?

v. 27. ἐξ ὅλης τῆς διανοίας] ἁπλῶς καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας scripsit Arrian. Dissertat. II, 2, 13. p. 178. Schweigh., item IV, 1, 131. εἰπεῖν ἐξ ὅλης ψυχῆς et III, 22, 18. ἐπιθυμεῖν ἐξ ὅλης ψυχῆς. Vid. *Valckenar.* ad h. l. et corrige *Vorst.* de Hebraism. c. XXVII. p. 133: „quod a sanctis Evang. additum est adiectivum ὅλος, id non Graecorum sed Hebraeorum imitatione factum videtur.“

v. 30. ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν]. Ab his quid

significatione discrepent Xenophontea haec *Καὶ ὁ Ὑστάσπης ὑπολαβῶν εἶπεν* Cyrop. II, 2, 1. *Καὶ ὁ Κῦρος, ἔτι λέγοντος αὐτοῦ, ὑπολαβὼν εἶπε* V, 5, 35. atque alia in Lex. Xen. IV. p. 394. et a *Raphelio* composita, non exputo: utrobique enim nostrates dixerint: *er nahm das Wort und sagte*, quibus in verbis nec quod redundet inest, nec quod hebraeum colorem prae se ferat. Paulo ante maiorem vim habent *und wer ist mein Nächster?* quam *wer ist also, in aller Welt, mein Nächster?* Quis igitur credat *καί* reddi debere *igitur, tandem?*

v. 36. *τίς οὖν τούτων τῶν — εἰς τοὺς λῃστάς;*] Mirum quod Storrium sequuti haec ita intelligunt: *quis horum trium tibi videtur proximum se existimasse ei, qui in latrones inciderat?* Jacob. IV, 9. *ταλαιπωρήσατε* cave vertas cum eodem: *miseros vos existimate*, aut *ἐπλουτήσατε, ἐβασιλεύσατε* I. Cor. IV, 8. in similem sententiam deterqueas. Non magis verum est, legisperitum v. 29. quaesivisse, quem habere deberet proximum suum. Vid. not. ad IX, 55. Accedit, quod cur ad trium illorum opinionem, quam ad ipsius Pharisaei iudicium Christus provocare maluerit, iustam causam non memini quemquam afferre. Sed de iisdem verbis *Wineri* extat observatio grammat. P. II. p. 42. inserta: *Befremdend ist die Auslassung des Artikels* Luc. X, 29. 36. *τίς ἐστί μου πλησίον, wo man ὁ πλησίον erwarten sollte* (s. *Markland.* ad Eurip. Suppl. 110.), *da πλησίον ausserdem Adverb. ist. Ein ähnliches Beispiel hat indess Döderlein* (Synon. I, 59.) *angeführt:* Aesch. Prom. 940. *ἐμοὶ δ' ἔλασσον Ζηνὸς ἢ μηδὲν μέλλει*

(scr. μέλει), wo μηδ. für τοῦ μηδέν zu stehen scheint." Sed in comparationibus eiusmodi omissiones articuli frequentiores sunt, quam vulgo putant, vid. not. ad Memorab. III, 6, 8. IV, 6, 14. et Evang. Matth. V, 20. nec remota comparatione sollicitanda videntur, qualia scripsit ibidem Xenophon II, 4, 6. Ὁ γὰρ ἀγαθὸς φίλος ἑαυτὸν τάττει πρὸς πᾶν τὸ ἐλλεῖπον τῷ φίλῳ καὶ τῆς τῶν ἰδίων κατασκευῆς καὶ τῶν κοινῶν πράξεων pro καὶ τῆς τῶν κοινῶν πράξεων, aliique illic a me excitati scriptores. Haec tamen omnia toto coelo aberrant ab eo articuli neglectu, quem Evangelista admisisse dicitur, cui ne illa quidem comparare ausim, quae ab *Elmsleio* illustrantur ad Eurip. Med. v. 85. ex eiusdem Hecub. 982. deducta: αὖσόν νυν αὐτόν, μηδ' ἔρα τῶν πλησίον. Etenim „Notanda, inquit, ellipsis articuli haud ubivis obvia, τῶν πλησίον pro τῶν τῶν πλησίον." Ac primum quidem cum constet adverbium πλησίον solenniter cum εἶναι et γίγνεσθαι copulari, nihil obstat quo minus tum Pharisaeus quaerat: *et quis mihi propinquus est?* tum. v. 36. Christus: *quis igitur horum trium tibi videtur propinquus fuisse ei, qui in latrones inciderat?* Quae significatione ad idem fere redeunt atque si articulus esset praefixus: nam qui ad alterum prope accessit, ei propinquus esse et proximus dici potest. In nostra lingua haec duo *iemandem nahe stehen* et *iemandes Nächster seyn* magis inter se diversa esse videntur, quam graeca πλησίον εἶναί τινος et τὸν πλησίον εἶναί τινος.

v. 39. Καὶ τῇδε ἦν ἀδελφή]. Vulgo docemur, pronomina ὅδε, τοιόςδε etc. nonnisi ad sequentia re-

ferri, οὗτος autem, τοιοῦτος etc. ad praegressa. Sed ab hac consuetudine ut omnis generis Graeci scriptores declinarunt, vid. not. ad Memor. I, 7. extrem. et *Matthiae* gr. §. 470. 1, ita infra XVI, 25. ὅδε, si genuinum est, ad antecedentia spectat, quod idem permultis locis de sequentibus dicitur, ut Act. XV, 23.

ἡ καὶ παρακαθίσασα]. Ex iis, quae VIII, 2 sqq. partim in textis partim in virorum doctorum annotationibus leguntur, intelligi arbitror, mulierum Iudaearum fuisse διακονεῖν, *parare et suppeditare ad victum necessaria*, quem morem h. l. adeo non observat Maria, ut docenti Iesu auscultet. „Quae si vera sunt, non dubium est, quin illud καί sit *adeo: quae adeo ad Iesu pedes assedit et doctrinas eius auribus percipiebat.* Praeterea falli puto, qui de coenantibus cogitant: imo ad docentis Christi pedes sedebat Maria, dum Martha, quae ad coenam parandam necessaria essent, apparabat.

v. 42. τὴν ἀγαθὴν μερίδα]. Comparativi vim in positivo hoc inesse quis sibi persuadeat? Reddenda potius verba sunt: *eam partem, quae bona, salutaris est*, non Mariae solum, verum omnibus omnino hominibus. Respici verba τὸ ἕν, οὗ ἐστι χρεία, i. e. *unum illud, quo opus est*, videlicet animi cultura et salute, non corporis cura, vix est, quod adiiciam. Cf. de positivo *Fritzsch.* Coniect. spec. I, p. 19.

Cap. XI. v. 1. ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν — προσευχόμενον] i. q. ἐν τῷ αὐτὸν προσεύχεσθαι, quo eodem modo accipies extrema evangelii verba καὶ ἦσαν διαπαντὸς

ἐν τῷ ἱερῷ αἰνοῦντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν θεόν, inciso non divellenda. Cf. IX, 18.

v. 2. ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς]. Quae ex Matthaeo huc translata sunt, plenius dici poterant: οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Simili modo Act. VII, 51. ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν, καὶ ὑμεῖς, Philipp. I, 20. Thucyd. VIII, 1. ὡς ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐποίουν ταῦτα. Xenoph. Apol. §. 33. ὥσπερ οὐδὲ πρὸς τἄλλα τἀγαθὰ προσάντης ἦν, οὐδὲ πρὸς τὸν θάνατον ἐμαλακίσατο. Memor. IV, 4. 7. ὥσπερ σύ, καὶ ἐγὼ ἀεὶ τὰ αὐτὰ λέγω. Adde not. ad Apol. I. et Memor. III, 1, 4. Similiter Deuter. VIII, 5. כֵּן omissum, quo non caret eiusdem cap. versus extremus.

v. 5. τίς ἐξ ὑμῶν ἕξει φίλον — καὶ εἴπῃ] τίς nec h. l. nec aliis innumeris pro εἴ τις collocari posse, cum docuerit *Fritzschius* Comment. ad Matth. p. 726, non opus est pluribus demonstrem. Cavendum tamen, ne huc ea quoque trahas, quae ex structurae quadam commutatione colorem traxerunt. In his locus erat X, 8. et is ipse esse videtur, quem tractamus. Vid. not. ad v. 11. Pro εἴπῃ reponentibus ἐρεῖ iam olim offensioni fuit coniunctivus, quem quantumvis mire positum tamen tuebitur et sequens εἴπῃ v. 7. et locus cap. VIII, 17. ὃ οὐ γνωσθήσεται καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ, cui et ipsi codicum quorundum auctores corrigendo subvenire studuerunt. Hic coniunctivorum usus et significatus apud veteres novus foret et tantum non barbarus.

v. 7. εἰς τὴν κοίτην εἰσίν]. Ex dicendi brevitate haec et similia explicanda esse suspicor; pro eo enim quod dicendum erat: εἰς τὴν κοίτην παρῆσαν καὶ

εἰσὶν ἐν αὐτῇ, ita haec contrahuntur, ut ex illis εἰς c. accus., ex his adsumatur εἰσίν. Ne quis tamen in errorem inducatur, ac si sacrae solum scripturae haec dicendi ratio sit propria, operae pretium erit, duarum, quae in usu fuerunt, loquutionum, et ἐπί τι εἶναι et εἴς τι εἶναι, nonnulla in medium proferre exempla. Diodor. Sic. XVI, 10. Ὡς δ' ἐπὶ τοὺς ὅρους τῆς Συρακουσίας ὁ Δίων ἦν. Hesiodi verba Ἔργ. v. 11. ἀλλ' ἐπὶ γαῖαν Εἰσὶ δύω cum aliis aliorum scriptorum ad Cyrop. VI, 1, 1. excitata reperies. Aelian. Hist. Animal. III, 82. ἔοικεν εἰς σοβαρὰς οἰκίας ἄθυρμα εἶναι. Eurip. Helen. 1535. λευκά θ' ἐστί· εἰς ἓν ἦν, ubi *Matthiae* „Non magis, inquit, εἴς τι εἶναι pro ἕν τινι usquam, apud Tragicos certe, legere me memini. Itaque non dubito, quin corrupta sit clausula; quid autem reponendum sit, non succurrit." Ad Latinos quod attinet, Suetonii verba August. cap. 13. *Iam istam in volucrum fore potestatem* non tentavit *Oudendorp.*, quique hunc sequuti sunt. Vid. ibi interprett.

v. 8. Λέγω ὑμῖν, εἰ καὶ οὐ δώσει αὐτῷ ἀναστάς]. *Vaterè* causa verba εἰ καὶ οὐ interrogative sumentis notandum est, λέγω ὑμῖν sic interpositum esse, ut ὅτι posthac omissum sit ad eorum locorum exemplum, quos plurimos collegi ad Conviv. II, 13. p. 71. VII, 2. p. 179. Anab. V, 8, 22. In ceteris nihil est quod ab graecorum sacrorumve usu scriptorum recedat; nimirum negatio ante δώσει posita simul participium afficit: *wenn er auch nicht aufstehen* (*liegen bleiben*) *und ihm deswegen geben wird.* Minus haec facile latine reddi poterunt, nisi si negationem geminaveris: *etsi in lecto remanens non dabit ipsi.*

v. 11. μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;] *er wird ihm doch nicht einen Stein geben?* Haec enim vis est negationis in interrogatione positae, vid. V, 34. VI, 39. Quae v. 12. dicentur ἐὰν αἰτήσῃ ᾠόν, dubitare non sinunt, quin illa quoque interrogatio sic illata fuerit, ut scriptoris menti haec obversata fuerit protasis ἐὰν τὸν πατέρα αἰτήσῃ ὁ υἱὸς ἄρτον. Aliam explicandi viam iniit *Fritzsch.* Coniect. I. p. 38. sed de qua nescio an aliis, mihi certe non persuaserit. Manifesto enim anacoluthon admittit, quicunque interrogaverit: τίνα ἐξ ὑμῶν — αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, καὶ μὴ ἄρτον ἀλλὰ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ. Debebat enim pergi καὶ τίνι υἱῷ ὁ πατὴρ μὴ ἄρτον etc. vel etiam ᾧ ἐκεῖνος μὴ ἄρτον ἀλλὰ λίθον ἐπιδώσει; Cf. ad v. 5. Statim pro his ἢ καί in altera quaestione de more illatis nollem *Kuinoelius* vel commendasset εἰ καί, vel reddidisset *si autem*, quo sensu Lucas, opinor, scripsisset ἐὰν καί, vel ἐὰν δέ.

v. 16. σημεῖον παρ' αὐτοῦ ἐζήτουν ἐξ οὐρανοῦ]. Quid? ἐζήτουν, *quaerebant?* Imo ἐξήτουν, *postulabant.* Hoc certe in tersissimis quibusque scriptoribus, sicuti locus aliquis nostro fuerit similis, quotquot frequentem amborum verborum confusionem perspectam habent, rescribere non dubitarunt. *Schaefer.* in Mell. critt. p. 74 sq. *Dorville* ad Chariton. p. 233. Lips. et *Iacobs.* ad philostrati Imag. p. 313. qui structuram verbi ἐξαιτεῖν ut illustraret, inter alia laudavit Vit. Apollon. I, 7. p. 9. ἐξαιτήσας ἑαυτῷ προάστειον παρὰ τοῦ πατρός. Sed ut *Schaefero* me non assentiri recordor ad Anabas. VI, 6, 11, ita vir

eruditissimus ipse non ausus mutare Demosth. p. 374. v. 16. ἐγὼ δ' ἐκείνους τοὺς λόγους ἐζήτουν παρὰ τούτου reddidit ἐζήτων *requirebat*, quam habet potestatem etiam infra XII, 48. et Marc. VIII, 11.

v. 17. καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει]. Simplicissima horum verborum interpretatio videtur esse: et domus post domum labitur, *und es sinkt ein Haus nach dem andern, eine Familie nach der andern* nempe in regno mutuis dissidiis vastato. Sic. Phil. II, 27. ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπην σχῶ. De proverbio Graecorum πῦρ ἐπὶ πῦρ disseruit *Wyttenbach.* ad Plutarch. l. de discernen. adul. p. 481. Sed hac sententia, quoniam loci paralleli Matth. XII, 25. et Marc. III, 25. aliam suadent, non contenti interpretes, in iisque *Valckenarius*, post οἶκον commate posito e superioribus subaudiri iubent διαμερισθείς, ut sensus sit: *et domus domui dissidiis contraria*, sive potius, *familia familiae, stare nequit.* Maiorem haec habent probabilitatis speciem, quam quod *Kuinoel.* ἐπὶ οἶκον dicta putavit pro ἐφ' ἑαυτόν: *et familia a se ipsa dissidens, salva esse nequit.* Vereor enim, ne linguae legibus talis ratio conciliari nequeat. Sed quid haec et cetera persequor? Quidni Lucas ut alia alibi, ita hoc Christi effatum in diversam partem acceptum voluerit?

v. 20. ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς]. Recte *Valckenar. ad vos nil tale opinantes venit* s. *celerius venit, quam venturum opinabamini.* Sed pro ἄρα, quod conclusioni inservit, *Schulzius* dedit ἆρα, operarum credo errore, quum intactum ἄρα reliquerit Matth. XII, 27. Interrogandi signo post τοῦ θεοῦ

collocato posses transferre *nonne*, si sacrorum scriptorum usus hoc admitteret, posses vero etiam ἄρα secundum quae composuit *Heindorf.* ad Platonis Protag. p. 624. ad protasin trahere, nisi in s. s. ab initio ἄρα poni constaret. Vid. Winer. Ep. ad Gal. p. 50 sq., ed. 2. Noli igitur quidquam in vulgata mutare.

v. 28. φυλάσσοντες αὐτόν]. In iisdem fere codicibus, a quibus VIII, 21. pronomen ignorabatur, etiam h. l. αὐτόν omissum est, quo deleto incisum post θεοῦ collocatum stare nequit. Cf. IX, 42. et *Gersdorf.* l. l. p. 266 sq.

v. 33. εἰς κρυπτὴν τίθησιν]. *Winer.* gr. §. 26. p. 92: „*der Hebraismus* (*Gesen. S.* 661.), *dass das Neutrum eines Adiectivs durch dessen Femininum ausgedrückt ist, findet sich vielleicht Luc. XI,* 33. εἰς κρυπτὴν τίθησι, *wenn man nicht mit Bretschneider* (Lexic. N. T. I. p. 619.) κρυπτή *für Subst. bedeckter Gang nehmen will.*“ At haec κρύπτη dicitur apud Athenaeum p. 205, A. a Callixeno historico, ut iniuria *Valckenarius* videatur negare, vocem hanc in Veterum scriptis usquam esse obviam. Ipse retineam εἰς κρυπτήν comparatis dicendi formulis Graecorum omnium perquam familiaribus εἰς μακράν, ἐς μίαν, τὴν ταχίστην, de quibus egerunt ad *Lamb. Bos.* Ellips. p. 563. 576. *Fischer.* ad Welleri gr. III. P. I. p. 254. P. II. p. 93. *Viger.* p. 596. *Matthiae* §. 282. p. 571.

v. 36. εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινόν. — φωτίζῃ σε]. Quicunque hunc locum tractarunt, de perplexa sententiae ratione uno ore conquesti nunc inte-

grum aliunde conflatum invectumque esse, nunc singula verba mutanda censuerunt. Quibus reiectis *Vaterus* mutata interpunctione „Quodsi σῶμα ὅλον φωτεινόν est," inquit, „h. e. tibi videtur esse; rei documentum hoc fuerit: non nisi μὴ ἔχον τι (omnino nullum) μέρος σκοτ., erit ὅλον φωτ." Sed nec verba *videtur esse* δοκεῖ σοι εἶναι praetermitti potuerunt, nec coniungi μὴ ἔχον — σκοτεινόν sequentibus. Paulo tolerabiliorem, nisi me fallit opinio, sententiam lucrabimur, si prius illud ὅλον post σῶμά σου ut vel ex vicinia vel ex glossemate verbis μὴ ἔχον — σκοτεινόν superscripto temere infartum deleverimus: *si igitur corpus tuum tam lucidum est, nulla ut eius pars caliginosa sit, totum erit lucidum, haud secus ac si lux splendore suo te collustret*, i. e. si te s. animum tuum ita excolueris, ut nullam eius partem incultam torpere sinas, totus erit velut lucis splendore collustratus.

v. 39. νῦν ὑμεῖς — πονηρίας]. Minime abundare dici potest νῦν, quod temporis est, sed diversum ab ἀρτίως. Etenim hoc sibi vult Christus: *eo nunc delapsi estis*, in eum nunc locum res vestra deducta est (*dahin ist es ietzt mit euch gekommen*), *o Pharisaei, ut externas res quamvis viles, qualis est poculi et patinae purgatio*, curetis, sed *interna*, quae in animo vestro sunt, *negligatis; plenus est enim animus vester rapina et improbitate*. Posteriora sine dubio brevius expressa debebant oppositionis causa hunc in modum constructa esse: τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν οὐ καθαρίζετε· γέμει γὰρ ἁρπαγῆς etc. Vulgo quidem ὑμῶν traiectione ab ἁρπαγῆς καὶ πονη-

ρίας diremtum esse existimant, sed nec praegressa τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, quibus haec τὸ ἔσωθεν ὑμῶν manifesto sunt opposita, huic interpretationi favent, et quae similis transpositionis exempla afferuntur, Matth. V, 16. X, 30. XIII, 16, quis cum illis audeat contendere? Animo cur consuli oporteat, hanc Christus causam addit: οὐχ ὁ ποιήσας — ἐποίησε; i. e. *nonne qui externa creavit* (corpus), *etiam interna creavit* (animum)? Ipse igitur deus quod externa simul et interna condidit, noluit ab hominibus sola illa curari, haec vero negligi, sed aperte hoc spectavit, ut pari studio et ardore externarum et internarum rerum curam haberent. Nihili est, quod *Elsnerus* observavit ποιεῖν inter alia etiam significare: *facere rem talem, qualis esse debet, apparare aliquid, purgare*; desideratur enim praedicatum, ab Theophr. Char. 14, 3. et Palaeph. 13, 1. appositum, atque de parandis cibis ποιεῖν dici cum inter omnes constet, cur h. l. demonstretur causam idoneam non perspicio. Sed purgandi tamen, dicit fortasse aliquis, notionem habet עָשָׂה 2 Sam. XIX, 25; imo, mihi crede, non tam purgandi quam adornandi praevalet ibi potestas, ut Gesenius in Lexico adeo francogallicum *faire la barbe* comparaverit. Accedit quod illa verba de poculis patinisque, de potionibus cibisque accepta sententiam praebent nimis vulgarem, nec Christi menti quippe altiora spiranti satis accommodatam.

v. 41. πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην] *sed quae intus sunt date stipis loco.* Verba sunt Pharisaeorum semet ipsos ad beneficentiam erga pauperes

lera reiiciatis, neque tamen exemplo eorum moniti melius hodie de prophetis statuatis.

v. 48. ὅτι — μνημεῖα]. Noli ὅτι latine exprimere per *quanquam*, quae vis ab hac voce nullo non loco aliena est. Inservit hic quoque explicationi eorum, quae modo dicta sunt, sed ita ut quae subsequuntur latinis respondeant: *quod, dum maiores vestri prophetas necarunt, vos horum monumenta instauratis.* Saepissime enim Graeci quae primaria est sententia, secundo loco, secundariam posuerunt priore, illam per particulam δέ, hanc per μέν inferentes. Exempla eius loquutionis si quis desideret, consulat not. ad Cyrop. I, 1, 4. Memor. II, 7, 11. III, 9, 8.

Cap. XII. v. 1. ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ πρῶτον· προσέχετε]. Litigant inter se interpretes, πρῶτον antecedentibus an sequentibus sit iungendum. Illud praetulit *Schulz.* lectore ad *Knappii* Comment. isagog. p. XXXV. ablegato, qui „Recentiorum plerique h. l.," inquit, „adverbium πρῶτον verbo προσέχετε iungunt. Sed vide vs. 22 et 54; item VI, 17. 20. VII, 1. IX, 18. 23. XX, 45. 46. XXI, 9. Matth. V, 1. XXIII, 1. XXVI, 1. Quae loca partim exigunt, partim confirmant atque illustrant vetustissimam hanc, quae etiam in optimis Codd. reperitur, interpunctionem: — πρῶτον· Προσέχετε κ. τ. λ." Tantis scilicet copiis cedere debebunt omnes. Quid vero, si perlustratis copiis affirmavero, in nullo loco praeter XXI, 9. minime ambiguum: δεῖ γὰρ ταῦτα γενέσθαι πρῶτον· ἀλλ' οὐκ nec istud πρῶτον, nec aliud quidquam haberi, quod ad

dirimendam litem faciat? Gravioris igitur momenti est, quod iterum iterumque monuit *Gersdorf.* p. 107. 109. 475 sq., quem nonnisi obiter inspexerat *Fritzsch.* ad Matth. p. 228, Matthaeum quidem postponere adverbium πρῶτον imperativis, Lucam autem etiam praeponere solitum, idque inter alia factum ab eo esse IX, 61. X, 5. Quare liberum nobis iudicium datum est praeferendi, utrum altero ad sensum iudicemus aptius. Vidit hoc *Kuinoelius* notando, sine ulla idonea ratione nonnullos interpretes ad antecedd. πρῶτον retulisse.

v. 4. ἀπὸ τῶν ἀποκτενόντων] imo ἀποκτεννόντων, quod tum codices AEKL al. ut Matth. X, 28., scriptum habent, tum veteres grammatici commendant, vid. Gregor. Corinth. p. 588. 597. 602. Schaef. *Sturz.* Dial. Alex. p. 128. et *Schleusner.* Thesaur. Biel. Vol. I. p. 374, nisi forte ἀποκτενούντων Evangelistae dederant. Nam ἀποκτεινόντων ut nimis vulgare quum prae ceteris lectionibus correctorem sapiat, etsi *Schulzio* probatum, tamen verum ego non praestiterim, ἀποκτιννύντων autem s. ἀποκτεινύντων per se non contemnendum, vid. not. ad Anab. VI, 5, 28. et *Schaefer.* Demosth. Apparat. III. p. 345. IV. p. 37. ab membranarum auctoritate tam leviter munitum est, nullam ut fidem mereatur. Infra XIII, 34. pro ἀποκτείνουσα s. ἀποκτένουσα coniectavit *Schulzius* ἀποκτενοῦσα tempore opinor aoristo (futurum enim ab h. l. alienum est), at aoristum illum quomodo defenderit? Denique verbi vim quo melius perspicias, non poenitebit evolvisse *Schaefer.* ad Porson. Eurip. Orest. 906. ed. tert. — Illud μετὰ ταῦτα,

explica: μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι τὸ σῶμα cl. *Winerí* gr. P. II. p. 56.

v. 11. προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγάς]. Haud imperiti rerum forensium fuerunt, qui pro προσφέρωσιν reposuerunt εἰσφέρωσιν, quo verbo, si interpretibus Demosth. c. Aristocr. p. 629. v. 22. fides habenda est, hic illic Graeci ita usi sunt, ut εἰσάγειν, quae proprie vox dicitur de magistratu, qui iudices causam iubet tractare. Vid. *Buttmann.* Ind. ad Demosth. Mid. s. εἰσάγειν, εἰσέρχεσθαι et *Meier.* et *Schoemann.* Lit. Attic. p. 30. 706.

v. 15. οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ — αὐτοῦ]. Ad verbum redde: *non in abundantia cuiquam felicitas eius versatur* (parta) *ex opibus eius* i. e. *nemini propterea quod abunde habet felicitas paratur ex opibus quas possidet*, sed ex pietate et fiducia in deo posita. Non sine causa nec abundanter verba ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ adiecta putabis; etenim illud περισσεύειν tam generaliter dictum erat, ut legentes de coelestibus quibusque bonis, quibus aliquis abundaret, potius quam de solis divitiis cogitare possent. „*Imo ex ipsis divitiis*, inquit Christus, *nisi animi virtutes accesserint, nulla cuiquam paratur felicitas.*“ Scribi poterat omissa praepositione τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ, haec ut e περισσεύειν penderent, sed ἐστὶν proxime praegressum praepositioni addendae causam dedit et occasionem. Quam praepositionis vim ut uno exemplo confirmem, opportune incidi in verba Xenoph. Conviv. IV, 57. Οὐκοῦν ἓν μέν τι ἐστὶν εἰς τὸ ἀρέσκειν ἐκ τοῦ πρέπουσαν ἔχειν σχέσιν καὶ τριχῶν καὶ ἐσθῆτος, de quibus dictum

p. 149 sq. Ut ut res se habet, illud extra dubitationem positum est, *Kuinoelii* explicationi: *cum aliquis divitiis abundat, tamen felicitas eius a divitiis minime pendet*, cum alia obstant tum non poterat τινί ad περισσεύειν trahi eo sensu, quo v. c. Paulus dedit Rom. XV, 13. εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι. Sed prius αὐτοῦ refertur ad τινί (ut XIV, 8. ὑπ' αὐτοῦ ad ὑπό τινος), quod cum ἐστίν copulandum erat, nec male *Vaterus* animadvertit loco I. Thessal. III, 12. ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ dativum τινί excusari non posse. In pronominum αὐτός et οὗτος usu quantopere non solum sacri verum etiam Attici scriptores luxuriati fuerint, expositum est in *Wineri* gr. §. 16. 6. not. ad Cyrop. VIII, 4, 48. et in *Schaeferi* Apparat. Demosth. II. p. 553 sq. Cf. Xenoph. Hellen. II, 3, 54.

v. 17. οὐκ ἔχω ποῦ συνάξω] *non habeo, nescio ubi colligam. Kuinoel.* τόπον supplet, sed praeter necessitatem. De vocula ποῦ dictum ad X, 1. de ἐκεῖ v. 18. a *Winero* gr. §. 47, 6.

v. 20. τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν] *vitam tuam poscunt, dein Leben fordert man.* Plerique deum putant intelligi tum hoc loco tum v. 48, qui non video qua de causa impediat, quo minus scelesti homines praedonesque, quos *Paulus* cogitavit, locupletem illum diripiant et trucident. Fingit parabola deum quidem scelus illud non latere, sed non avertere tamen. Multo minus v. 48. de deo accipiamus necesse est, nec vernacula lingua qui reddiderit, *man setzt vor, man wird fordern*, unquam deum esse putabit, qui vel proponat vel roget. Sed

Vorstius de Hebraism. cap. XXX. „cum de deo loquuntur (Graeci), inquit, non utuntur verbo activo personae tertiae pluralis. — Quod S. Lucas ita scripsit (v. 48.), id fecit more Hebraeorum. Si vero loquantur de hominibus, an tum activo plurali quocunque pro passivo illos uti putabimus? Produximus quidem ex scriptoribus graecis vulgaribus rei huius exempla: ut quod Euripides ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι, ὡς λέγουσί μοι scripsit pro ὡς ἀπαγγέλλεταί μοι, et ὡς λέγεταί μοι, sed non putamus tamen hunc morem aeque late apud Graecos atque Latinos patere, atque idem patet apud Hebraeos.“ At patet ille sane multo latius, quam *Vorstius* lectoribus suis persuadere conatus est. Thucydides quum VII, 69. scripsisset ὅπερ πάσχουσιν ἐν τοῖς μεγάλοις ἀγῶσι, *Dukerus* ibi haec notavit: — „bene Scholiastes οἱ ἄνθρωποι δηλονότι. Tertiis personis verborum et Graeci et Latini saepe ita utuntur, ut non exprimant nomen, quod addendum erat. — et sic saepe scriptores sacri Matth. V, 11. et 15. VII, 16. IX, 17. et alibi: quae, non video, cur quidam VV. DD. ad Hebraismum referre voluerint.“ Adde infra XVI, 4. δέξωνται, ad quod subaudias οἱ χρεωφειλέται, quos iam in animo habet oeconomus. XVII, 20. 23. nott. ad Cyrop. V, 1, 10. VIII, 2, 12. Memor. III, 11, 7.

v. 21. καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν] *nec dives est respectu dei habito.* Aperte inter se opponuntur ἑαυτῷ et εἰς θεόν, ut sensus sit: *haec est sors hominis, qui quod dives est, prosperoque in augendis divitiis successu utitur, sibi tribuit, non deo.* Contra *Kuinoclius: neque dives est apud deum*, i. e.

bonis coelestibus, apud deum, in coelo, repositis; at hoc est graece: ἐν τοῖς πρὸς θεόν vel certe ἐν θεῷ. Neque vero aut ἑαυτῷ abundare, aut πρὸς θεόν aliud quidquam, opinor, sonare poterit, quam *quod ad deum attinet*, h. e. sic ut in deo ponat fiduciam.

v. 26. εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε]. *Winerus* gr. P. II. p. 153. non monito lectore ex Mss. BLQ 1. scripsit, quod res postulabat, οὐδέ pro οὔτε. Fieri tamen potest, ut priorem sententiam, οὔτε τοῦτο facile illam supplendam Lucas silentio praetermiserit. Quanquam germanum esse credo οὐδέ, confidens fore, ut, si libri manu exarati accuratius inspecti fuerint, quam adhuc factum esse videtur, sic scriptum in quam plurimis reperiatur; nemo enim hodie nescit, in codicibus conferendis istiusmodi minutiarum perexiguam olim rationem habitam fuisse. Cf. ad VII, 9.

v. 28. μᾶλλον ὑμᾶς] sc. ἀμφιέσει s. ἀμφιεῖ. Similiter imperfectum ex praesente repetendum est Cyrop. VI, 4, 13. τὰ μὲν ἱερὰ οἱ θεοὶ ἡμῖν φαίνουσιν, οἷάπερ ὅτε τὴν πρόσθεν νίκην ἔδοσαν sc. ἔφαινον. Thucyd. III, 56. εἰ νῦν ὑμῖν ὠφέλιμοι δοκοῦσιν εἶναι, πολὺ καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες μᾶλλον τότε sc. ὠφέλιμοι ἦμεν, atque praesens ἐπισυνάγει ex infinitivo ἐπισυνάξαι infra XIII, 34. cl. Matth. XXIII, 37.

v. 32. μὴ φοβοῦ, τὸ μικρὸν ποίμνιον — βασιλείαν]. Blandam in verbis τὸ μ. ποίμνιον inesse appellationem puta, quali saepe veteres et recentiores orationum et praeceptorum gravitatem interpellare solent. Verba autem minime ad victum retulerim, de quo discipuli fuerint solliciti, sed ad haec: ζητεῖτε

τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, quibus apprime respondent v. 32. *εὐδόκησεν ὁ θεὸς — βασιλείαν*. In his quis neget magnum contineri solatium iis, quibus praecipitur, ut ad coelestia bona adspirent? Sed quoniam *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus*, ideo quae v. 33. subliciuntur non poterant non explicationis causa adnecti. Quodsi ex *Kuinoelii* opinione v. 32. post versum huius capitis septimum interponatur, ut nihil dicam de formulis *μὴ φοβεῦ*, *μὴ φοβηθῆτε*, *φοβήθητε* ad nauseam usque indo a v. 4 sqq. iteratis, nec temere iterandis, quanta verborum mutatione, ut convenientem nexui post versum 7. sententiam lucremur, opus esse putabimus! Sive enim illic reponatur *μὴ οὖν φοβεῖσθε, τὸ μικρὸν ποίμνιον· πολλῶν στρουθίων διαφέρετε, ὅτι εὐδόκησεν — βασιλείαν*, sive verba versus 32. post *διαφέρετε* intacta interseruerís, quantopere omnia ibi commisceantur et perturbentur, non est quod pluribus exponam. Accedit quod omisso versu 32. multo difficilius legentes vel audientes verba *πωλήσατε κ. τ. λ.* ad *ζητεῖτε* etc. v. 31. referent, quam orationis serie non turbata ad proxima haec *εὐδόκησεν — βασιλείαν*. Alio modo loci integritatem defendit *Vaterus*.

v. 38. *καὶ εὕρῃ οὕτω*]. Interpolati quidam libri addiderunt *ποιοῦντας* ex v. 43, rectius tu ex antecedd. suppleveris *γρηγοροῦντας αὐτούς*; contra v. 40. post *οὐ δοκεῖτε* ex sqq. *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι*. Cf. v. 46.

v. 49. *καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη;*] Kuinoelius: „*et quam velim ut iam accensus sit*, — *τί* reddi debet *quam*, *quantopere*, idem valet quod *πῶς*.“ Sed

τί cave ullo loco aliud quid denotare existimes quam *quid*, i. e. *propter quid*, *cur*. Non magis recte εἰ latino *ut* respondere quisquam putabit. Imo repetitis ad θέλω verbis πῦρ βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, hoc sibi vult Christus: *et cur ignem volo in terram coniicere, cum iam accensus sit?* remota quaestione: *non opus est accendam ignem, qui iamiam accensus est.* In animo dominus habet, si recte coniicio, Pharisaeos, qui reiecta eius doctrina ipsum iam tunc coeperant persequi, brevi eum leto daturi. Ceterum εἰ pro ἐπεί positum non latuit *Winerum* gr. P. II. p. 153 sq. Vid. not. ad Anab. I, 2, 25. VI, 1, 26. *Matthiae* ad Eurip. Med. v. 88.

v. 51. ἀλλ' ἤ] *imo potius* interpretatur *Kuinoel.*, quod nescio an sit gravius, quam vocularum admittit usus et potestas, de qua dixerunt *Hermann.* ad Viger. p. 812. et *Buttmann.* gr. gr. §. 150. p. 443 sq. edit. 13.

v. 57. τί δὲ καὶ — δίκαιον;] *Marklandum*, tantum virum, etiam ubi erraverit, audiendum arbitror, sed rectissime ille ad Lysiam Tom. V. p. 890. Reisk. Orat. „id est, inquit, cur vero (adde etiam) non, exemplum petentes ab eo, quod ordinarie inter vos ipsos fit, quod iustum est iudicatis?" simul aliis allatis exemplis (cl. XXI, 30.) quibus dicendi formulam ἀφ' ἑαυτῶν illustraret, quae quomodo ab ἐφ' ἑαυτοῦ, ἑαυτῶν differat, cognosces ex testimoniis a *Goellero* laudatis ad Thucyd. VI, 40. Paulo obscurius ad h. l. *Vaterus:* „utrum vero Iesu ipsius, an Lucae hic transitus (sit), non liquet." Christo enim haec verba a Luca adscribi non est quod du-

bites, sed si vir doctus dubitavit, an Christus ipse superiora alio tempore docuerit, alio haec, Lucas autem quae diversis temporibus dicta essent hunc in locum concinnata transtulerit, non iniuria ille haesitasse putandus est, modo ne quis obliviscatur, eandem ambiguitatem quum antea passim locum habuisse, tum quaeri omnino posse, an gnomae et quae his similia sunt praecepta uno eodemque tempore et loco ab ullo homine prolata fuerint.

v. 58. *ὡς γάρ*]. Similiter Lucas Act. XXIII, 11. *ὡς γὰρ διεμαρτύρω*, Evang. XXI, 34. Attici quoque dici non potest quoties *ὡς γάρ* coniunxerint; de multis ut pauca commemorem, sic Aeschylus Pers. 460. Blomf. *ὡς γὰρ θεὸς νεῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης, — ναῶν ἐξέθρωσκον*. Xenoph. Anab. VI, 4, 18. *ὡς γὰρ ἐγὼ — ἤκουσα*. Dio Cass. 68, 13. p. 1129. (310 Sturz.) *ὡς γὰρ κρηπῖδες εἰσὶ λίθου τετραπέδου εἴκοσι, — πῶς οὐκ ἄν τις τὸ ἀνάλωμα — θαυμάσειε*;

Cap. XIII. v. 4. *καὶ ἀπέκτεινεν αὐτούς*]. Debebat dici *καὶ οὓς ἀπέκτεινεν*, sed mutata structura efficitur eadem dicendi ratio, quae obtinet infra XIV, 5. *καὶ οὐκ* pro *καὶ τίς οὐκ* etc. Cyrop. III, 1, 38. (Corrige *Matthiae* gr. §. 472, 3.) *ποῦ δὴ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀνήρ, ὃς συνεθήρα ἡμῖν, καὶ σύ μοι μάλα ἐδόκεις θαυμάζειν αὐτόν*, ubi similia notavi, quod idem me facere supra memini. Illud monere volebam, *ἐκεῖνοι* ad absentes referri, sed *οὗτοι* ante *ὀφειλέται* ad *ἐκεῖνοι*, quemadmodum in eodem membro utrumque pronomen de eadem usurpari persona docuimus ad Cyrop. VI, 3, 19. In Lysiae Orat. XII, 71. *ὁ λεγόμενος ὑπ' ἐκείνου καιρὸς ἐπιμελῶς ὑπ' αὐτοῦ ἐτηρήθη*

Reiskio interprete tam ἐκείνου quam αὐτοῦ ad eundem redit Theramenem. Vid. *Foertsch.* Observatt. critt. in Lys. p. 70 sq. *Stallbaum* ad Plat. Phaedon. p. 106. B. et Memorab. IV, 1, 1.

v. 7. ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ;] *quare insuper terram reddit sterilem? wozu lässt er auch noch den Boden ruhen?* Hanc enim potestatem in istiusmodi interrogationibus particulae καί attribuas oportet etiam XII, 57. τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; Aliorum exemplorum ex tragicis maximam partem coacervatorum quod satis est habet *Porsonus* ad Eurip. Phoeniss. 1373. sed eorundem explicationem dedit *Hermann.* ad Viger. p. 837. n. 320. Cf. *Matthiae* §. 620. p. 1259.

v. 12. ἀπολέλυσαι] ἀπολέλυσο reddidit *Kuinoelius*, sed fortior est vulgata: *liberata es.*

v. 19. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ]. Solenniter ita scriptores sacri, ut supra VIII, 5. IX, 58. Marc. IV, 4. 32. Matth. VI, 26. VIII, 20. XIII, 32. Act. X, 12. XI, 6. qui nonnisi Matth. XIII, 4. Luc. XII, 24. Rom. I, 23. Iac. III, 7. genitivum omiserunt. Differre haec ab eo loquutionum genere manifestum est, quod *Winerus* gr. §. 26, 1. tractavit laudatis formulis τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ, τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, quibus accedant oportet τὰ ἀκάθαρτα τῆς πορνείας Apoc. XVII, 4. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως Matth. XXVI, 64. In similia non ita raro etiam apud Atticos scriptores incidas: τὰ δεξιὰ τοῦ κέρατος scripsit Xen. Anab. I, 8, 4. χειρὸς εἰς τὰ δεξιά Lamb. Bos. de Ellips. p. 296. Schaef. ἐν τοῖς μαλακοῖς τῶν χωρίων Xen. Cyneg. X, 5. τὰ ὑπόλοιπα τοῦ βαρβάρου Thucyd. I,

75. et cf. not. ad Cyrop. VIII, 3, 41. De hebraismo in talibus non magis cogitandum, quam verum est quod *Vorstius* de Hebraism. cap. IX. p. 246. eumque sequutus *Winerus* gr. §. 26. p. 92. τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας Hebraeorum dictionibus adnumerarunt. Vid. not. ad XVI, 8.

v. 25. καὶ ἀποκριθείς] „apodosis vel καὶ ἀποκρ. vel potius τότε." *Vateri* verba sunt, posterius iure praeferentis, ita tamen, ut mutari nonnihil constructio putetur in verbis καὶ — ἐρεῖ, quibus substituenda erant καὶ — λέξῃ. Quid vero, si ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ etc., cum praecedentibus artius cohaerere statuamus? Nonne apta erit sententia: *multi intrare non poterunt, a quo tempore* (quodcunque illud erit ἀφ' οὗ ἂν c. coniunct.) *clausae erunt fores* etc.? Malim tamen priorem interpretationem amplectaris, quia τότε v. 26. ad longiorem protasin videtur respicere.

v. 28. ἐκεῖ]. „Hebraei adverbia loci ponere solent pro adverbiis temporis." *Kuinoel.* At faciunt hoc non solum Hebraei sed etiam graeci scriptores. Ex Xenophonte *Sturzius* in Lex. attulit III, 3, 22. Ἐπεὶ δὲ τάχιστα διέβη τὰ ὅρια, ἐκεῖ αὖ καὶ Γῆν ἐλάσκετο χοαῖς, sed iniuria, ut ad illum locum ostendi. Rectius *Reisk.* ad Demosth. c. Androt. p. 605. v. 10. ἐκεῖ de tempore dictum interpretatur idque confirmante *Schaefero* his verbis: „ἐκεῖ καὶ ἐπὶ χρόνου τάσσεσθαι, quod silent Lexicographi, docetur Anecd. Bekk. p. 188." Dio Cass. LIV, 25. ἐκεῖθεν ἤδη καταλεγόμενοι, *ex eo tempore iam in militum numero relati.* Nec de tempore non intellexerim ἐκεῖ Cyrop.

V, 3, 27. οἴει ἐκεῖ ἤδη καταλήψεσθαι, quippe quod melius, quam locale adverbium, ceteris verbis accommodatum sit. Adverbiorum nominavit enallagen *Fischer*. ad Weller. Vol. III. P. II. p. 92 sq.

v. 32. τελειοῦμαι]. Falluntur, qui futurum atticum agnoscunt in verbo, cuius penultimam in aoristo produci ex ipsis libris sacris potest perspici. In similibus futuris colligendis qui occupatur *Fischerus* ad Weller. II. p. 359. frustra provocat ad Platonicum ἐπανορθούμεθα (vid. *Stallbaum*. ad Euthyphr. p. 60.), ad Cyrop. IV, 2, 8. ubi vera est scriptura ἐμπεδώσωσιν, ad Platon. Phaedon. p. 113. E. βιῶσιν, quod praesens est, ad Deuteron. V, 13. ἐργᾷ, cum ἐργάσομαι literam ᾱ corripiat, cf. *Maittaire* Dialect. p. 62. Sturz. Idem valet de ἁρπᾷ, ἁρπῶμαι ibidem commemoratum, vid. ad Moerid. p. 71. *Piersen*. Iesai. 38, 14. aut praesens est μελετῶ aut cum cod. Alexand. μελετήσω restituendum. Cetera omnia quae ibi contendit, partim sunt legitima, partim et ipsa praesentia. Maioris momenti est auctoritas *Buttmanni* gr. max. §. 95. not. 16. p. 403 sq. et *Matthiaei* gr. §. 181, 2. p. 324. sed quod sacros scriptores ille testatus est, quo iure id factum sit, modo vidimus, atque Thucydidis de locis ab hoc excitatis secus statuerunt eius interpretes, *Poppo* de Elocut. Thucyd. p. 153. et *Goeller*. ad VI, 23. Quid? quod ipse *Buttmannus* in Addend. et Corrig. p. 420. ex iis nonnulla retractavit, quae olim hac de re disputaverat. Cf. etiam *Fritzsch*. ad Matth. p. 65 sq.

v. 34. πρὸς αὐτήν] imo πρὸς αὐτήν, quod veteres editiones servarunt, hoc ut sit idem quod πρὸς

σεαυτήν. Praetulit eundem spiritum apud Matth. XXIII, 37. etiam *Fritzsch.* p. 693. Notandum in eodem versu ἐπισυνάξαι, eoque magis, quod Matthaeus aoristo secundo usus est, quem veteres grammatici unice probarunt. Sic *Philemon* p. 224. Osann. ἀγάγωσι λέγωμεν, inquit, καὶ οὐκ ἄξωσι· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ὁ μὲν πρῶτος ἀόριστος καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ ἄχρηστοι τοῖς λογογράφοις, ὁ δεύτερος δὲ ἀόριστος καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ἐν χρήσει. Sed legitur tamen ἐπάξας II. Petr. II, 5. nec desunt apud Atticos eiusdem formae vestigia, nondum a quoquam correcta, vid. *Buttmanni* gr. max. II. p. 65. *Matthiae* §. 222. p. 429. et *Winer.* gr. §. 11. p. 43. qui nolim in eo peccaverit, ut ἄξω futurum aut insolentiae quid habere existimaret, aut pro ἄξομαι, quod diversum habet significatum, positum esse.

v. 35. ἕως ἂν ἥξῃ ὅτε εἴπητε]. Animum adverte ad coniunctivum post ὅτε interiectum, cum praesertim *Winerus* gr. P. II. p. 99 sq. adnotaverit haec: *Dagegen ist der Coniunctiv. im N. T. niemals mit dieser Part.* (ὅτε) *verbunden.*" Quam ne verbo quidem in Lexico *Bretschneiderus* attigerat coniunctionem, eam non omisso nostro loco accurate nuper tractavit *Wahl*, Vol. II. p. 197. ed. sec. Cum coniunctivo copulatam praeter Homerum (*Matthiae* §. 521. p. 1007.) habent poetae Anthol. Palat. Tom. III. p. 100. ed. *Iacobs.*, quem consules etiam in Act. Monac. T. I. f. II. p. 147.

Cap. XIV. v. 5. Τίνος ὑμῶν ὄνος — καὶ οὐκ εὐθέως — αὐτόν]. *Ecquis* potest significare τίς, minime vero *si quisquam* h. l. Neque magis καὶ οὐκ

pro *οὐχί* collocatum est, vid. not. ad XIII, 4. *Cuiusnam vestrum asinus aut bos in puteum incidet, et quis non statim eum extrahet?* vel *quem non statim extrahet?* Pro *ὄνος* in compluribus lectum codicibus *υἱός* probavit *Griesbachius*, et post eum alii: equidem haud scio an neutrum ab evangelistae manu profectum sit, sed *Millio* praeeunte suspicor ex *ὄις* utramque lectionem ortam esse, cuius interpretamentum fuerit *πρόβατον*, ex aliis aliquot membranis depromptum.

v. 9. *ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας*]. Supra Lucas II, 35. *καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς*. Quae maiore cum emphasi dicta sunt quam *καὶ σεαυτῆς δέ* et *ὁ καὶ σεαυτὸν καλέσας*, i. e. *qui te quoque invitavit*, dum recepta est: *qui te et ipsum invitavit*. Plato Phaedon. p. 63. A. *νῦν γε δοκεῖ τί μοι καὶ αὐτῷ λέγειν Κέβης*. Xenoph. Cyrop. III, 1, 9. *νομιοῦσί σε καὶ αὐτὸν καταδικάζειν σαυτοῦ*, ubi vid. not. et cf. *Heindorf.* ad Platon. Phaedon. p. 154.

v. 10. *ἀνώτερον*]. „Adverbia comparativi gradus plerumque in *ον* desinunt, superlativi in *ᾱ*, ut *ἐνδίκως, ἐνδικώτερον, ἐνδικώτατα* etc.“ *Elmsleius* ad Eurip. Heraclid. v. 544, quocum consentit *Schaefer.* Demosth. Apparat. II. p. 683. Atque *ἀκριβέστερον* est in Act. XVIII, 26. *εὐθυμότερον* XXIV, 10. *πυκνότερον* ibid. 26. Sed *Lascaris* Grammatica p. 144: *λέγομεν καὶ κατωτέρω καὶ κατωτάτω κοινῶς, καὶ κατώτερον καὶ κατώτατα ἀττικῶς*. Vid. *Buttmann.* gr. max. II. p. 270 sq.

v. 12. *μὴ φώνει τοὺς φίλους σου — ἀλλ'*]. Quid de *Kuinoelii* aliorumque translatione *non tam* —

quam potius statuendum sit, quum docte hac de re disputaverit *Winerus* gr. §. 48. 4. P. II. p. 155. 11, longum est copiosius repetere. Sententia est: noli beneficia in alios conferre eo consilio, ut acceptam tibi gratiam referent; sed ut comproberis deo.

v. 18. ἀγρὸν ἠγόρασα] *agrum emi.* Sic *Wetstenius* rectius vertit quam alii: *agrum emam*, s. *emere volo agrum*, cui interpretationi linguae leges adversantur. Quidni seq. ἰδεῖν denotare idem statuamus, quod Ciceronianum: *videre prandium, cibum?* Haec ἐρωτῶ σε extra structuram posita sunt, ut αἰτοῦμαί σ' ἐγώ Eurip. Alcest. 318. μὴ δῆτα δράσῃς ταῦτά γ', αἰτοῦμαι σ' ἐγώ, et v. 1047. ed. *Monk.* et *Herm.* γυναῖκα δ' — αἰτοῦμαί σ', ἄναξ, — ἄλλον τίν' — σώζειν ἄνωχθε Θεσσαλῶν.

v. 28. θέλων] ὁ θέλων est in codd. EH MS aliis, recte opinor, cum sit:. *qui vult.* Omisso articulo erit: *si velit*, ut XV, 4. 8. XVII, 7. cl. v. 31. In verbis εἰ ἔχει τὰ εἰς ἀπαρτισμόν articulum ab iis insertum puto, qui non perspexerunt plenam orationem futuram fuisse: εἰ ἔχει τὴν δαπάνην εἰς ἀπαρτισμὸν τοῦ πύργου. Paullo post v. 29. satius est incise verba μήποτε et θέντος distingui.

v. 32. εἰ δὲ μήγε] sc. δυνατὸς εἴη. Tritissimum hunc particularum usum non tetigissem, nisi *Winerus* de eo plane tacuisset, fortasse quia exemplis vidit omnia referta esse, vid. *Heindorf.* ad Platon. Sophist. §. 4. mea ad Anab. IV, 3, 6. *Viger.* p. 510. *Matthiae* gr. §. 617. p. 1249. et *Buttmann.* gr. §. 148. extrem. *Hermannus* ad Viger. p. 833.

not. 309. quum exempla desiderasset, in quibus εἰ δὲ οὔ legatur pro εἰ δὲ μή, ex serioris aetatis scriptoribus, *Iacobsius* extitit, qui haud pauca colligeret ad Achill. Tat. p. 947 sq., quae vereor ne novas *Buttmanni* rationes in grammat. editione tertia decima §. 148. p. 423 sq. in medium prolatas nonnihil infringant. Sed haec alio tempore et loco aptius tractabuntur, illud nolebam omittere, minime verum esse, quod ad Demosth. p. 187. v. 12. observavit *Schaeferus:* „hoc genuinum (εἰ δὲ μή). Vulgatum (εἰ δὲ μή γε), vereor ne sapiat Graecitatem Hellenistarum." vel ad Matth. p. 255. *Fritzschius:* „εἰ δὲ μήγε apud bonos scriptores hoc pacto non occurrit, nec nisi in N. T. invenitur." *Dindorfius* enim Praefat. ad Demosth. p. V sq. testatur illa formula usos esse praeter Plutarchum, Dion. Chrysost. etiam Aristophanem et Platonem. Nostrates dicunt, *wenn aber gar nicht*, quod latine non verterim: *sed nisi forte.* Statim *Kuinoel.* τὰ πρὸς τὸν πόλεμον per τὰ πολεμικά explicans mirum quidni τὰ πρὸς εἰρήνην itidem dixerit pro τὰ εἰρηνικά collocatum esse, i. e. *quae ad pacem conciliandam requiruntur.*

Cap. XV. v. 4. ἐννενηκονταεννέα] „ἐνενήκοντα cum simplici ν. Alex. Cant. Codd. plurim." *Mill. Kusteriana.* cf. *Matthaei* edit. Idem habet *Wetstenius* ex ADE 1. 3. 44. 72. 73. 74. 90. Edit. Complut. Erasm. Colinaei et comm. 7. Theoph. depromptum. Omisit cum aliis non inutilibus *Griesbachius*, nec supplevit *Schulz.* quae vera est scribendi ratio. Vid. *Winer.* gr. P. II. p. 12. et *Bekker.* ad Thucyd. I, 46.

v. 7. ἢ ἐπὶ ἐνενήκ.] Audaciam orationis miratus est etiam *Winerus* gr. §. 28. p. 95, ut loquutionis fontem explicaret, hebraea voce מִן adhibita, quae mihi a graeca particula ἢ nimium videtur recedere. Quare vide, ne Graecae linguae ingenio magis conveniat, si illud ἢ sic illatum statuerimus, ut si interrogandi particula πότερον, εἰ in priore membro collocata fuisset: quae cum ita sint (οὕτω), num super uno peccatore resipiscente an super nonaginta novem probis hominibus in coelo laetabuntur? Responsio est: super uno peccatore resipiscente. Prae ceteris luculentus locus est Sirac. 22, 15. βῶλον σιδήρου εὔκοπον ὑπενεγκεῖν, ἢ ἄνθρωπον ἀσύνετον: *num facile est, ferrum an hominem insipidum tolerari?* II. Macc. XIV, 42. θέλειν praecessit sed cf. Tob. VI, 12. (male *Valckenar.* 8.) Sophoclis autem locus legitur Aiac. 945. Herm. Cf. *Hermann.* ad Viger. p. 884. et not. ad XVIII, 14, et *Wahl.* Clav. p. 694 sq.

v. 13. μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας]. Act. XXVII, 14. μετ' οὐ πολὺ δὲ ἔβαλε, contra traiecta negatione ibid. I, 5. οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, quorum ad exemplum verborum librarius codicis D. h. l. οὐ μετὰ πολλ. ἡμ. exhibuit, minime falso, ne dicam, exquisitius. Gemini coloris est οὐ διὰ μακροῦ, de quo egit *Leisnerus* Praefat. ad Lambert. Bos. Ellips. p. XXI sq. ed. Schaef.

v. 20. αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος, εἶδεν αὐτὸν ὁ πατήρ]. Brevius et linguae legibus accommodatius dici potuit αὐτὸν μακρὰν ἀπέχοντα εἶδεν ὁ πατήρ, sed Attici etiam horum genitivorum tam amantes sunt,

ut licet appositum verbum finitum alium casum postulet, tamen absolutum illum praeferant. Xen. Anab. II, 6, 3. *οἱ Ἔφοροι, ἤδη ἔξω ὄντος αὐτοῦ, ἀποστρέφειν αὐτὸν ἐπειρῶντο.* Cyrop. I, 4, 2. *καὶ γὰρ, ἀσθενήσαντος αὐτοῦ, οὐδέποτε ἀπέλιπε τὸν πάππον,* de quibus vid. annot. cll. *Matthiae* gr. §. 561. et *Winer.* gr. P. II. p. 65. Paulo durius scriptum est supra XII, 36. *ἵνα ἐλθόντος καὶ κρούσαντος εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ.*

v. 24. *νεκρὸς ἦν καὶ ἀνέζησε*] „*νεκρός* per metaphoram ponitur etiam de eo, qui vitam pravam agit atque scelestam, improbitati indulget.“ *Kuinoelius* recte observavit, neque secus mortis et vitae notione usi sunt Attici et Romani. Aristoph. Ran. 420. Dind. mortui vivos appellant *τοὺς ἄνω νεκρούς,* Menandri incert. fab. 188. p. 249. *Meineck.*

Ἄνθρωπε, πέρυσι πτωχὸς ἦσθα καὶ νεκρός, νυνὶ δὲ πλουτεῖς.

Timocles Stobaei serm. 89. *οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.* Complura etiam e latinis scriptoribus *Musgravius* ad Soph. Oed. Reg. v. 45. quum collegerit, dubitari certe non poterit, quin Matth. VIII, 22. alterutrum nomen metaphorice merito plerique velint acceptum. Ad *ζῆν* quod attinet, quae commode huc referas, laudantur ad Cyrop. VIII, 7, 23. e *Blomfield.* Gloss. ad Aeschyli Agam. 792. Erfurdt. ad Soph. Electr. 835..

Cap. XVI. v. 2. *τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ*] i. e. *τί τοῦτό ἐστιν ὃ ἀκούω περὶ σοῦ, quid hoc est, quod de te audio?* Xen. Memor. IV, 4, 13. *καὶ τίνας τούτους νομίζεις;* simili ratione explicavi in Ind. s. *τίς.*

Cyrop. II, 2, 22. *τοῦτον τίνα λέγοι.* Alia dedit *Matthiae* gr. §. 472. 4. Minus recte *Kuinoelius:* qui hoc de te audio?

v. 4. *δέξωνται*]. Vid. not. ad XII, 20.

v. 8. *ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας*] *laudavit dominus dispensatorem iniquitatis causa, quod prudenter egerit*, i. e. in iniustitia, quam admiserat oeconomus, hoc laudavit herus, quod prudenter egerit, sed vituperavit eius perfidiam, quippe qui de alienis bonis amicos sibi conciliaverit. Postrema haec insunt in praeceptis v. 10 sqq. allatis. Structura verbi *ἐπαινεῖν* ne cui creet molestiam, testimonii gratia commemorem necesse est *ἐπαινῶ σε τῆς τύχης*, quibus praeter alia usi sunt ad Lamb. Bos. ellips. p. 706. Schaef. *αἰνῶ μέν σε τῆς προθυμίας* Eurip. Phoeniss. 1697. Porson. Vid. *Matthiae* §. 368. cl. §. 317. extr.

v. 9. *λέγω· ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους*]. Quotquot diversas virorum doctissimorum de hoc versu sententias cognovi, nullam ex his omnibus ita mihi satisfecisse fateor, ut dubitationi locus non relictus sit. Utcunque enim locus explicabitur, praecipere Christum intelliges, quod nec ipse unquam probaverit, et Paulus graviter vituperavit Rom. III, 8. *ποιήσωμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά* additis *ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι.* Ac vide mihi gentilem hominem, Cyrum minorem, quid de iusto iniustove oeconomo statuerit Anab. I, 9, 16 sqq. *Εἴς γε μὴν δικαιοσύνην εἴ τις αὐτῷ φανερὸς γένοιτο ἐπιδείκνυσθαι βούλόμενος, περὶ πάντος ἐποιεῖτο τούτους πλουσιωτέρους ποιεῖν τῶν ἐκ τοῦ ἀδίκου φιλοκερδούντων.* — *Εἰ δέ τινα ὁρῴη δεινὸν ὄντα*

οἰκονόμον ἐκ τοῦ δικαίου, καὶ κατασκευάζοντά τε, ἧς ἄρχοι χώρας, καὶ προςόδους ποιοῦντα, οὐδένα ἂν πώποτε ἀφείλετο, ἀλλ' ἀεὶ πλείω προςεδίδου. Deinde ut ex divitiis vel iniustis vel fluxis amicos sibi parent, quomodo Christus excitare potest eos, qui nonnisi relictis rebus omnibus novae doctrinae adhaerere cogebantur, vid. V, 27. XVIII, 22 sqq. *Kuinoel.* ad XII, 33? Quodsi Pharisaeos prae ceteris in animo habuit, vereor ne frustra eos facere iusserit, quod pridem illi sua sponte facere consueverant (XI, 41 sq.), ut nescias, qui factum sit, ut praecepta Pharisaei deriderent (v. 14.), a quibus observandis ipsi minime alieni erant. Denique contextum orationis perpendentibus non poterit non mirum videri, quomodo unum idemque praeceptum Christus nunc assensu suo comprobet, nunc reiiciat. Nemo enim ex opibus vel iniuste collectis vel caducis amicos sibi conciliare potest, nisi qui opes istas aut possederit aut parare sibi studuerit. Prius illud nolle potest, qui in levissimis rebus fidem servari iubet; posterius autem qui facit, nec fidem servare in rebus levibus dici potest, et mamonae servire iubetur, contra quam v. 13. praescripsit et inter alios locos Matth. VI, 19. *μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.* Luc. XII, 31. 15. Imo quo saepius locum hunc inspexi miramque Christi sententiam perpendi, quam frustra interpretes explicando aut potius detorquendo mitigare studuerunt, eo minus dubitare coepi, quin levem ille maculam antiquitus contraxerit, fortassis ita tollendam, si rescripseris *λέγω· οὐ ποιήσετε ἑαυτοῖς φίλους κ. τ. λ.*, *atque ego dico:*

non facietis (nolite facere) *vobis amicos ex opibus iniuste collectis, ut, si moriamini, in aeterna domicilia recipiamini*, quae debitorum opponuntur domiciliis, ad quae fraudulentus villicus vult confugere. Post ὦ quam facile negatio οὐ excidere potuerit, in oculos incurrit; atque omnino de negatione οὐ tum male adiecta tum male omissa nuper scripsit *Iacob.* Excurs. 2. ad Lucian. Alex. ep. 137 sqq. Nec desunt sacris in libris eiusdem omissionis exempla, Act. V, 26. aliis οὐ μετὰ βίας aliis μετὰ βίας, v. 28. οὐ παραγγελίᾳ vel παραγγελίᾳ, XXV, 6. οἱ πλείους et πλείους, XIX, 40. οὐ δυνησόμεθα et δυνησόμεθα exhibentibus. Quid? quod ibid. XVII, 19. *Toupius* Emendatt. in Suidam P. III. p. 436. Lips. coniectura assequutus fuerat λέγοντες· οὐ δυνάμεθα, quod se in duobus codicibus reperisse posthac testatus est *Matthaei*, idque in loco, ubi negatio commode abesse potuit, quique ne hilum quidem pharisaeis cleri christiani monachorumque praeceptis favit, quibus non poterat non iucundum esse, si ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας amicos sibi, plebem nescio an principes, parare iuberentur. Cf. Matth. XXIV, 21. Futurum autem tempus cum negandi illa voce imperativi, ut aiunt, potestate iunctum apud utriusque generis scriptores sanequam frequens est, ut nemini non sponte in mentem veniant collecta in *Wineri* gr. §. 48. 6. p. 180. qui tamen ab Locella excitando ad Xen. Ephes. p. 204. abstinere debuit, Deuteron. I, 42. οὐκ ἀναβήσεσθε. III, 22. IV, 2. οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον V, 8. Sed etiam Euripidis verba sunt in Phoeniss. 1686. Porson. οὐκ εἰς γάμους σοὺς ξυμφορὰν κτήσει γόοις, v. 1696. ἐγ-

οὐ φονεύσεις παῖδ' ἐμόν· λεῖπε χθόνα, Xenoph. Cyrop. VI, 3, 13. Διώξεις δὲ οὐδαμῇ ἐς ἀφανές, ἀλλὰ — πάριθι. Cf. *Matthiae* §. 498. p. 942. Inter imperativum et futurum κτήσασθε et κτήσεσθε fluctuant libri etiam XXI, 19. et alibi. Ad sensum quod attinet, Pharisaeos Christus ait de alienis bonis liberales esse, idque sui commodi causa (vid. XI, 40 sqq.), atque eorum praefectos (ἄνθρωπος πλούσιος v. 1.) non modo hanc in subditis perversitatem et vitiositatem non vituperare et punire, sed etiam laudare prudentiam eorum et calliditatem. At suos id nunquam imitaturos esse Christus certo confidit, imo vetat itidem agere discipulos, docens, non terrena et caduca sed coelestia et perpetua bona ipsis appetenda esse, quorum aliquando participes eos futuros esse tanto magis, quanto in rebus levissimis fideliores fuerint, quantoque minus dubitari possit, non duobus simul dominis sed uni deo serviendum esse. Quid multa? Quidquid egregie praeceptorum laudatis verbis Christus addidit, tantum abest, ut vulgatam scripturam eiusque sententiam ullo pacto tueatur, ut aliam nullam lectionem illustret, quam quae a librariis olim temere oblitterata fuit. Quicunque enim fluxarum divitiarum ope amicos sibi pararunt, hi opinor ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν, sed si qui sapientiae et pietati amicos cultoresque conciliarint, aeternis praemiis neutiquam indigni sunt, illis quippe lucri studio deditis, his regni divini finibus dilatantibus, illis mamonae, his deo servientibus. Prius praeceptum sequuti sunt Pharisaei, posterius Apostoli. Pro κἀγώ ne quis forsitan ἐγὼ δέ scribendum fuisse existimet,

nolim innumeros illos locos opponi, quibus *καί* adversativam vim habere monuerunt interpretes, ut Matth. XII, 43. Act. XVII, 9. X, 28. ibiq. *Valckenar.* Rectius sine dubio cum emphasi talia inferri statuas, ita tamen ut maior vis in pronunciando pronomini *ἐγώ* tribuenda sit: *und ich sage euch*, cl. Act. XXII, 13. 19. Quae satis sunt oeconomi domino opposita male factum assensu suo comprobanti. Cf. *Niedner.* in Comment. theol. ed. *Rosenmueller.* et *Maurer.* T. II. P. I. p. 74 sq.

v. 15. *ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τ. ἀνθ.*]. Respiciens hoc dicit ad oeconomum, qui debitores quidem beneficiis affecit sed dominum fefellit simulator et dissimulator: *vos estis ii, qui ab hominibus probi haberi vultis.* Huc pertinet *Schaeferi* adnotamentum ad Eurip. Phoeniss. Porson. v. 79. a me supra allatum ad II, 29.

v. 19. *καὶ ἐνεδιδύσκετο*]. In talibus locis *καί* non habet vim pronominis relativi *ὅς*, sed aut iungit simpliciter sequentia praegressis, aut infert explicationem antecedentibus adnexam, valetque *καὶ ταῦτα*, *et quidem*, *idque.* Vid. *Schaefer.* post. Gregor. Corinth. p. 985 sq. *Homo quidam erat dives isque induebatur purpura et bysso.* Cf. not. ad V, 35.

v. 20. *καὶ ἐπιθυμῶν*] *et quia cupiebat.* Vid. *Matthiae* §. 565. 2. p. 1114 sq. Male alii: *et cupiebat*, quasi *ἦν* deesset. Quod ubi additum est, per *ἐπεθύμει* quidem, neutiquam vero per *ἐπεθύμησε* explicandum erat.

v. 21. *ἀλλὰ καί*] *quin etiam*, *ia sogar*, vulgo reddunt, nescio an non recte. Ubicunque enim illae

particulae ita positae reperiuntur, ut οὐ μόνον non praegressae sint, elliptica obtinet dicendi ratio, facili illa negotio ex superioribus supplenda. Hoc loco omissa esse puto: οὐ μόνον ἐχορτάσθη ἀπὸ τῶν ψιχίων — πλουσίου, ἀλλὰ καί κ. τ. λ. Egestati ejus micae de divitis mensa allatae, vulneribus succurrebant canes. Nec ἀντίθεσιν igitur nec αὔξησιν in voculis istis inesse vides, sed dicendi brevitatem eandem, quam in Memorab. II, 7, 9. observari licuit. Supra XII, 7. scribere Lucas poterat: οὐ μόνον οὐδὲν ἐκ τῶν στρουθίων ἐπιλελησμένον ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ καὶ αἱ τρ. XXIV, 22. οὐ μόνον ταῦτα ἐγένετο, ἀλλὰ καὶ γ., Iohannes autem XI, 22. ὁ ἀδελφός μου οὐ μόνον οὐκ ἂν ἐτεθνήκει, εἰ ἦς ὧδε, ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα κ. τ. λ. denique Paulus Ep. ad Philipp. I, 18. καὶ ἐν τούτῳ οὐ μόνον χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι. Haud diversam explanationem postulant, quae a me ad Cyrop. II, 2, 22. collata sunt. Mecum faciunt *Valckenar.* ad h. l. et ex parte Lamberti Bos. Ellips. editores p. 788 sq. ed. *Schaefer.*

v. 25. νῦν δὲ ὅδε παρακαλεῖται]. Quum tot codices optimae notae ὧδε pro ὅδε exhibeant, nec raro factum esse sciamus, ut alterum utrum vocabulum ob literarum similitudinem ab librariis neglectum fuerit, facile in animum quispiam induxerit, pristinam scripturam fuisse νῦν δὲ ὅδε ὧδε παρακαλεῖται, sed quemadmodum Graecis pronomen personale interdum etiam ibi adiicere placuit, ubi omni vi destitutum est, vid. *Winer.* gr. P. II. p. 53., ita iidem, quod oppositionis ratio poscere videbatur, hic illic silentio transmiserunt. Sic paulo ante aliorum libro-

rum auctores post ἀπέλαβες, aliorum post σοῦ inferserunt σύ, quod ob seq. Λάζαρος necessarium visum est, nec magis ὅδε h. l. requiritur, ut quod in verbo παρακαλεῖται lateat; contra ὧδε verbis τῇ ζωῇ σου oppositum ut altera lectione difficilius est, ita non sine vi illatum. Vid. Luc. VI, 38. ᾧ μετρεῖτε, not. ad Cyrop. IV, 5, 2. VIII, 1, 4. et de gemina Cyrop. et Max. Tyr. recensione p. 28. De secunda verbi ὀδυνᾶσθαι persona sacris scriptoribus propria si quis edoceri velit, adeat oportet grammatt. *Buttmanni* max. I. p. 354. *Matthiae* §. 203. 1. *Maittaire* Dial. p. 79. *Sturz.* et *Planck.* in Commt. l. T. I. P. I. p. 138.

v. 26. ἔνθεν] i. e. *unde*, at hoc loco requiritur ἐνθένδε vel ἐντεῦθεν, quae vulgata fuit lectio. Quare credibile est, ἔνθεν successu temporum illorum adverbiorum vim induisse. Quamquam antiquior videtur hic usus esse, cum Homerus dixerit Iliad. XIII. 13. Θρηϊκίης, ἔνθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη. Cf. Indic. Eurip. et interpretes Longini ad XXXIV, 4. Perspicua verba sunt Epicteti Dissertat. I, 6, 20. p. 35. Schweigh. „διὰ τοῦτο αἰσχρόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ, ἄρχεσθαι καὶ καταλήγειν ὅπου καὶ τὰ ἄλογα· ἀλλὰ μᾶλλον ἔνθεν μὲν ἄρχεσθαι, καταλήγειν δ' ἐφ' ὃ κατέληξεν ἐφ' ἡμῶν καὶ ἡ φύσις, i. e. *Wolfio* interprete: *inde quidem auspicandum*, scilicet, unde belnae auspicantur, hoc est, a sensibus, et in contemplatione resistendum.“ Recte igitur mihi videor Cyrop. I, 2, 2. ἄρχεσθαι — οὐκ ἔνθεν defendisse.

v. 30. οὐχί] sc. ἀκούουσι Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν.

v. 31. *οὐδὲ ἐάν τις — πεισθήσονται*]. Rectior interpungendi ratio, ut incisum post *οὐδέ* figatur, postulat. Sententia enim est haec: *nec fidem habebunt, si quis e mortuis in vitam fuerit restitutus*, non: *etsi quis in vitam redierit, non habebunt fidem.*

Cap. XVII. v. 8. *ἀλλ' οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ*]. Quidni *καὶ οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ*? Cf. v. 22. *καὶ οὐκ ὄψεσθε.* Nimirum quoniam dici poterat aut *οὐδεὶς εἰςελθόντι δούλῳ ἐρεῖ· εὐθέως π. ἀνάπεσαι, ἀλλ ἐρεῖ αὐτῷ*, aut *τίς — ὃς εἰςελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ ἐρεῖ — καὶ οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ*, concinnato utroque structurae genere illinc *ἀλλά*, hinc desumtam cernis negationem. Vid. Ioh. X, 8. Pari ratione Attici sexcenties, vid. *Zeunius* et ceteri interpretes Cyrop. II, 2, 19. *Stallbaum.* ad Platon. Gorg. p. 494. B. Protag. p. 341. D.

v. 9. *μὴ χάριν ἔχει τῷ δοῦλῳ ἐκείνῳ*]. *Kuinoelius: num gratiam habebit s. habere debet servo illi? Paulus* ad *μή: ob etwa?* Imo *μή* interrogativum hoc cum indicativo plerumque construitur, vernaculo respondens *doch nicht, doch nicht etwa: er weiss es ihm doch nicht etwa Dank?* Quem significatum interrogandi particulae etsi loci sunt innumeri qui confirment, tamen haec sufficiant testificandi gratia Luc. V, 34. VI, 39. XXII, 35. Act. VII, 28. X, 47. Ioh. IV, 12. 29. 33. VII, 31. 35. 41. 47 sqq. VIII, 22. Alia exempla desiderantibus offerent *Devarius* de graecae linguae part. p. 215. Reusm. *Hermann.* ad Viger. p. 788 sq. *Wahl.* Clav. Vol. II. p. 98. et *Stallbaum.* ad Platon. Menon. p. 45. cuius rationes examinavit *Graser.* in

Specimine Adversar. p. 31 sqq. et Antikritik. p. 5 sqq. Rarissime μή interrogativum ita usurpatur, ut, qui loquitur, affirmari rem velit. Factum hoc memini Amos. V, 25. indeque Act. VII, 42. μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι κ. τ. λ. (quo in loco multa frustra *Kuinoelius* tentavit) atque in iis exemplis, quae hanc in rem laudavit *Graser*. spec. p. 35. not.

v. 11. διήρχετο]. *Winerus* in gr. §. 11. p. 45. „*Für das Imperf.* ἠρχόμην *brauchen die attischen Schriftst. das Imp. von* εἶμι. *s. Buttmann.* 362." At cautius ea de re iudicavit *Buttmann.* §. 114, p. 282. ed. 13. et *Valckenarius* ad Act. Apost. IX, 17. „Apud Atticos ab ἔρχομαι ductum ἠρχόμην, ἤρχου, ἤρχετο rarissimum invenietur." Etenim usus eo est Xenophon Anab. IV, 6, 22. ἀπήρχοντο I, 8, 17. ἤρχοντο vel potius προήρχοντο, Thucydides, Aristophanes, Plato, Demosthenes aliique, quos laudarunt *Elmsleius* ad Eurip. Heracl. v. 210. *Buttm.* gr. max. II. p. 137. *Matthiae* §. 234. p. 459. et *Struvius* in Miscellan. critt. ab Friedem. et Seeb. editis Vol. II. P. II. p. 209. Ibidem quae de futuro ἐλεύσομαι *Winerus* scripserat, ipse correxit in Parte II. p. 26.

v. 14. ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτούς] in procedendo, *dum progrediebantur* sc. ad sacerdotes. Male alii: cum abirent, in ipso itinere. Vid. not. ad VIII, 42.

v. 21. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν] *regnum divinum est inter vos*, i. e. intus regionem populumque vestrum. Ita post *Kuinoelium* aliosque rectissime accepit *Fleck. Neue Erklärung von Luc. XVII.* 21. 21. in *Wineri* stud. exeg. I. p.

159 sqq. immemor tamen geminae sententiae ad stabiliendam illam interpretationem minime praetereundae XI, 20. ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

v. 24. ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν · εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν] χώρας — χώραν suppleri iubent ad Lambert. Bos. de ellips. p. 560. 562. Schaef. Germanice dixeris: *von einer Himmelsgegend in die andere.* Simili loquendi ratione Aristophan. Thesmoph. 956. Inverniz. Pauson canitur πολλάκις αὐταῖν ἐκ τῶν ὡρῶν ἐς τὰς ὥρας ξυνεπεύχεσθαι, *von einem Frühling zum andern*, Xenophon. Hellen. III, 2, 8. ἐκ θαλάττης ἐς θάλατταν.

v. 28. Ὁμοίως καὶ ὡς ἐγένετο]. Mirationem faciunt haec verba, quae dubito an mutata interpunctione faciliorem habitura sint intellectum; neque enim improbabile est, ὁμοίως ab antecedentibus avulsum male verbis καὶ ὡς (sic enim ὡς mutandum esset) ἐγ. adhaesisse: ἅπαντας ὁμοίως certe dici vix potest quoties Graeci coniuncta scripserint: Luc. XIII, 5. Herodt. I, 52. πάντα ὁμοίως, Xenoph. Oecon. XVIII, 4. πάντα ὁμοίως, Hieron. VII, 3. πάντα ὁμοίως ἥδεσθαι ἔοικε τὰ ζῶα. Demosth. Orat. funebr. p. 1396. v. 5. ἅπασιν ὁμοίως, Leptin. p. 483. v. 5. πάντας — ὁμοίως, quo modo *Bekkerus* haec iunxit eique obsequutus *Schaeferus*, qui de hac formula illo etiam loco consulendus est. Minus cuiquam persuadebitur, καὶ ὡς significare *etiam sic*, *ita etiam*, nisi forte vera sunt, quae minus accurate scripsi ad Anab. VI, 5, 22. Tametsi enim καὶ ὡς non apud poetas tantum, verum etiam apud Thucydidem et Xenophontem reperiuntur, nec Plato Protag. p. 524.

Heind. ὡς δὲ καί scribere dubitavit, tamen verendum arbitror, ne καὶ ὥς nihil aliud denotet quam nostrum: *auch unter diesen Umständen*, vid. *Matthiae* gr. §. 628. p. 1285. Quod quum ab huius loci sententia alienum sit, reliquum est, ut Latinismum, qualem passim admisisse Lucam omnes viderunt interpretes, hic quoque agnoscamus, et quidem sic, ut post ἅπαντας nonnisi minore distinguatur inciso. Sensus enim est: *perdidit omnes pariter atque ut accidit.* Nihil varietatis e membranis notavit post *Griesbachium Schulzius*, sed qui Millianam recudi fecit *Kusterus* ad καὶ ὡς habet: „καθώς *Barb.* 1. *Vulg.* *Deest* ὡς *in Seld.* 1.“ unde apparet Barberini codicem explicationi illi favere, alteri vero codici ὡς offensioni fuisse. Millianae illi consentit *Wetsteniana* pro καὶ ὡς in lucem his protractis: „καθώς L. 69. Versio *Vulg.* καί 53. Evang. 17.“ Verbis Lucaneis congruunt haec Thucydidis II, 60. ὅ τε γὰρ γνοὺς καὶ μὴ σαφῶς διδάξας ἐν ἴσῳ καὶ εἰ μὴ ἐνεθυμήθη, i. e. ὁμοίως καὶ εἰ. Vid. *Schneider.* ad Epicur. p. 94. In diversam explicationem abiit *Wahl.* in Clav. Vol. II. p. 674: „ὡς ἐν ταῖς ἡμέραις νῶε (coll. v. 26.), ὁμοίως καὶ ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις λώτ.“ veram illam utique, nisi ὡς intersertum esset. Sed *Paulus* quid sibi voluerit scribendo: „ὁμοίως καί sc. ἔσται *Vs.* 26.“ equidem tanto minus exputo, quod recte ille cepit verba Luc. V, 33. δεήσεις ποιοῦνται ὁμοίως καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων, XXII, 36. ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω ὁμοίως καὶ πήραν. Adde Luc. VI, 31. Ioh. VI, 11. I. Corinth. VII, 22. Xenoph. Ages. V, 1. μέθης μὲν ἀπέχεσθαι ὁμοίως ᾤετο χρῆναι καὶ μανίας, σίτων δ' ὑπὲρ

καιρὸν ὁμοίως καὶ ἀργίας. Herodt. 7, 15. ἐπιπτήσεται καὶ σοὶ τώυτὸ τοῦτο ὄνειρον ὁμοίως καὶ ἐμοὶ ἐντελλόμενον. Matthiae gr. §. 620. p. 1258. Ceterum inprimis frequentata Graecis est dicendi formula ὡςαύτως οὕτω ad Cyrop. VIII, 5, 5. a me illustrata, qua tamen qui ad Lucae verba explicanda abuti voluerit, ante omnia demonstret necesse est, ὥς pro οὕτως ab sacris scriptoribus usurpatum fuisse. Saltem huc non traxerim Iudd. VIII, 18. ὡς σύ, ὡς αὐτοί, qui similis locus est ei, quem l. l. tractavit *Heindorf*.

v. 31. καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ] i. e. καὶ οὗ τὰ σκεύη ἐν τῇ οἰκίᾳ ἔσται. Vid. supra ad XI, 44.

v. 37. ποῦ, κύριε;] i. e. *ubinam*, *domine* sc. ταῦτα ἔσται, γενήσεται? Responsio Christi huic interrogationi unice accommodata est: *ubi corpus est, ibi colligentur vultures.* Diversa amplexus est *Kuinoelius* reddendo: *quomodo? qua ratione haec evenient?* Sed in ratione hac copiosius describenda Christus modo ita versatus erat, ut ea mirum esset si discipulos latuisset. De calamitate Iudaeis imminente non poterant iidem cogitare, quia nullam plane Iudaeorum mentionem vv. 22 sqq. Christus fecerat, qui nec Matth. XVII, 23. XVI, 21. de alia re ulla quam de morte sua loquutus est. Sed instat *Kuinoelius*: „ποῦ, inquiens, h. l. est id. qd. πῶς, et respondet Hebr. אֵיכָה *quomodo?* Iudd. VIII, 18. et ita quoque legitur ap. Demosth. p. 638. 17. Reisk. ποῦ δὲ γένοιτ' ἂν ταῦτα; v. *Vigerus* de Idiotism. p. 445. Herm.“ Atqui *Schaeferus* Apparat. Demosth. III. p. 54 sq. contra *Reiskium*: „idem esse quod πῶς dicitur Iud. Graecitat. p. 416. Neque hoc pro-

bandum nec cum Anglo mutanda vulgata. Scilicet qui hoc excipit negat tale quid usquam extra Thraciae fines fieri posse." Quem praetereà locum ex Demosthene laudavit *Vigerus*, legitur is p. 269. v. 28. praegressis interrogandi particulis bene multis πόθεν ἢ πῶς ἀξιωθέντι; ut videatur orator variare orationem voluisse, quippe indignatione in adversarium commotus, quam inesse in ποῦ, sicubi pro πῶς ponatur, *Hermannus* quoque animadvertit ad Sophoclis Aiac. 1260. p. 191. Haud dubie igitur vulgaris illa interpretatio praeferenda erit, praesertim cum nec Christus antea de loco, ubi haec futura sint, verba fecerit, nec quemquam fore confidam, qui seqq. ὅπου — ἐκεῖ interpretari audeat verbis: qua ratione corpus comparatum est, eadem congregabuntur vultures.

Cap. XVIII. v. 7. ὁ δὲ θεὸς οὐ μὴ ποιήσει — καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς]. Locum hunc haud sane facilem intellectu multisque modis iam olim a librariis vexatum nollem interpretes tam paucis absolvissent verbis! Ac primum quidem quod negationes οὐ μή in quaestione positae sunt, tantum abest ut sine exemplo sit (Ioh. XVIII, 11. οὐ μὴ πίω αὐτό;), ut *Hermannus* ad Eurip. Med. 1120. interrogativam eam formulam esse contendat. Cuius si rationes sequimur, μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν *non liberabit pios* unam notionem efficiunt et quidem hanc: *reiiciet pios*, ita ut illorum verborum sensus sit: *deus vero non reiiciet piorum preces? Reiiciet vero.* At contrarium postulat sententia Christi. Itaque misso interrogationis signo sententia erit:

deus vero annuet piorum precibus, quamvis auxilium iis differat. Verum et hoc loco negat *Valckenarius*, *καί* participiis iunctum scriptoribus sacris obtrudendum esse, et Eurip. Phoeniss. v. 277., ad quas provocat *Kuinoelius*, haec notavit vir longe eruditissimus: „scriptoribus N. F. mea quidem sententia ista talia non deberent obtrudi: quantum satis est exemplorum istius usus collegit Clariss. Io. Iacob. *Wetstenius*, pauca quoque dederat Iacob. *Elsnerus*, uterque locis alienis: hic in Observ. S. T. 1. p. 344. ille notis in N. F. T. 1. p. 780. A. etc.“ *Valckenarii* iudicium valebit etiam de Act. VII, 5. Hebr. III, 9. Ioh. VI, 36. ubi *καί* est *adeo*, *vel*, et de iis, quae collegit *Wahl*. Clav. I. p. 777. Quae si vera sunt, et videntur esse utique, quid, obsecro, impedit, quo minus *καὶ μακροθυμῶν* vertamus *etiam differendo auxilio*, i. e. ut in adiuvando iudex ille fuit tardior, ita deus etiam num tardus erit? Omnino qui tum negationum *οὐ μή* usum tum orationis seriem perpenderit, non dubitabit locum sic accipere, ac si scriptum esset: *ἀλλ' οὐ φοβητέον, μὴ καὶ μακροθυμῶν ὁ θεὸς ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ κ. τ. λ. sed deus non metuendum est ne cultores suos, assidue ipsum implorantes, aeque tardus adiuturus sit atque iudex ille: von der Gottheit glaubet nicht, dass sie ihren Auserwählten, die Tag und Nacht zu ihr beten, auch nach langem Verzug* (*wie iener Richter*), *helfen wird.* Hanc explicationem ut mirum quantum quae statim Christus adnexuit efflagitant pariter et sustentant, ita assensu suo non destituet Hermannus ad Soph.

Philoct. 416. et Oed. Colon. 853. In eadem, nisi fallor, sententia fuerunt etiam qui *καί* ante *μακροθυμῶν* praetermittere ausi sunt. Contra librorum ABDLQ. 1. 145. 157. Mt. 11. etc. auctores exhibitis *καὶ μακροθυμεῖ* vel *καὶ μακροθυμήσει* lectionibus ecquid aliud putabimus in mente habuisse quam haec: *deus vero assiduis piorum precibus non auscultabit et* (vulgo *sed*) *in adiuvando tardus est* vel *erit? Dico vobis*, imo *adiuvabit eos celeriter*. Post receptam collocatum interrogandi signum non video quomodo stare possit, nisi forte quis neglecto solenni negationum usu hunc in modum reddere locum audeat: *von Gott wird man doch nicht glauben, dass er seinen Auserwählten auch zögernd beistehen werde?* remota interrogatione: *Gott wird doch wahrlich seinen Auserwählten nicht auch zögernd beistehen.* Ad *ἐπ' αὐτοῖς* supplebis *τοῖς ἐκλεκτοῖς, τοῖς βοῶσι πρὸς αὐτόν*, ut Sirac. 32, 18. *Καὶ ὁ κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσει ἐπ' αὐτοῖς* adiectivum *τοῖς ταπεινοῖς*, cuius singularis praecessit, neque alia est praepositionis vis, quam in loquutionibus *ἐπί τινι γελᾷν, φρονεῖν, χαίρειν, ἀνιᾶσθαι, ἀγάλλεσθαι, κλαίειν*.

v. 8. *πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου — τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς;*] *sed Messias si redierit num in terra deprehendet fidem?* at quamnam fidem? nempe eam, quae Messiae debetur; haec enim potestas est articuli, male a cod. D. neglecti. Vid. not. ad Cyrop. IV, 2, 33. 5, 3. VII, 5, 9. et *Winer*. gr. P. II. p. 28 sq.

v. 9. *πρός τινας τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς*].

Indicat pronomine τινάς (*Hermanni* verbis plerisque utor ad Soph. Oed. Reg. v. 107.), Lucas, incertum esse, qui sint illi, qui tantam in virtute sua fiduciam posuerint. Pari modo pronomen indefinitum excipit articulus participio adiunctus Xenoph. Memor. II, 8, 3. προςελθόντα τῷ τῶν πλείονα χρήματα κεκτημένων, τῷ δεομένῳ τοῦ συνεπιμελησομένου, quae verba a criticorum vexationibus defendere studui, non recordatus tamen, de eodem loquendi genere in grammatica exposuisse *Matthiaeum* §. 487. Ex sacris scriptis huc referes Act. XIX, 14. ἦσαν δέ τινες υἱοὶ Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτά, οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ubi quod ab initio indefinitum scriptor voluit relinquere, accuratius deinde memoriae prodere non dubitat. Cf. Valckenar. l. l.

v. 10. ἀνέβησαν — προςεύξασθαι]. Scribi etiam προςευξόμενοι poterat cll. *Matth.* §. 559. c. p. 1106. et *Elmsleio* ad Eurip. Med. 1270. observante: „ἰέναι, ἐλθεῖν, ἥκειν et similia longe frequentius cum participio construuntur quam cum infinitivo.“ At secus accidit in s. scriptura, ex qua in contrariam partem exempla deprompsit *Winer*. gr. §. 38. 4. b). Cf. etiam *Matthiae* gr. §. 532. c. p. 1040.

v. 11. οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων] i. q. οἱ λοιποὶ ἄνθρωποι. Sic Apocal. IX, 20. οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, XX, 5. οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν. VIII, 11. πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων. Adde Xenoph. Cyrop. VIII, 2, 24. τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων quaeque id genus alia ad Anabas. IV, 6, 26. subscripsi. Paulo post in his ὡς οὗτος ὁ τελώνης pronomen οὗτος cum contemptu dictum ait *Markland.* ad Lys. κ. Νικομ. p. 864.

Reisk. positoque post οὗτος minore distinctione reddidit extrema verba: „*vel etiam ut hic homo, publicanus iste: δεικτικῶς.*“ Non assentior, neque enim οὗτος magis potest esse *hic homo*, quam ὁ *iste*. Praeterea contemptus, quum ad οὗτος fere nomen substantivum additum sit, magnopere vereor, ne in ipso pronomine nusquam lateat. Talibus in locis οὗτος et ὅδε adverbio latino hîc convenire, nemo est hodie qui nesciat ex *Schaeferi* Mell. critt. p. 78. et *Bastii* ep. crit. p. 279. Quod autem nomini suo οὗτος praeter Lucae consuetudinem praepositum est, eo minus miraberis, quo plura eiusdem positurae exempla qui proprietatem illam in Luca detexit *Gersdorfius* ipse attulit l. l. p. 439 sqq. XIV, 30. XV, 24. XVII, 34. XXII, 15. 53.

v. 12. ὅσα κτῶμαι] *quae mihi acquiro.* Fallitur enim *Kuinoelius* observandus, et acquirendi et possidendi notione κτᾶσθαι occurrere, idque comprobasse ad h. l. *Raphelium.* Recte *Raphelius* omnia, nisi quod sub finem monuit: „Interdum tamen etiam praeteritum tempus significationem acquirendi habet, ut Oeconom. p. 661. l. 37.“ Locum dicit cap. VII, 19. τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς ἐκ τούτου τοῦ ζεύγους τοῖς γοῦν ἀνθρώποις πορίζεται, in quo corrigere *Leunclavium* debebat *Raphelius*, non sequi.

v. 13. μοὶ τῷ ἁμαρτωλῷ]. Tritissimum hoc appositionis genus ut in nostra ita in graeca lingua. Ep. Ephes. I, 19. εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας, Thucyd. I, 34. ἡμᾶς τοὺς συγγενεῖς, Xenoph. Cyrop. I, 3, 10. ἃ οὐκ ἐᾶτε ἡμᾶς τοὺς παῖδας ποιεῖν, Aristoph. Plut. 499. Pors. ὡς μὲν γὰρ νῦν ἡμῖν ὁ βίος τοῖς ἀνθρώποις

διάκειται, Platon. Gorg. p. 481. C. ἄλλοτι ἢ ἡμῶν ὁ βίος ἀνατετραμμένος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων, Demosthenes p. 519. v. 21. ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοις. Vid. *Schaeferi* Apparat. Demosth. Vol. III. p. 321.

v. 14. ἢ γὰρ ἐκεῖνος]. Confirmant haec, quae ad XV, 7. disputata sunt, etiam *Winero* iudice gr. §. 28. p. 95. Fac enim priori membro πότερον praemissum esse, vides, si ita sit, plene postea dicendum fuisse ἢ γὰρ ἐκεῖνος κατέβη δεδικ. εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ; *oder ging denn iener gerechtfertigt in sein Haus?* cf. XX, 4. vides vero etiam, habere illud γάρ, quo locum suum commode tueatur. Nolim certe praeferatur ἢ γὰρ ἐκεῖνος; quibus usus est verbis Soph. Electr. 1214 sq.

v. 15. τὰ βρέφη] Omisso articulo Matthaeus et Marcus παιδία, nec h. l. desunt codices articulum oblitterantes, iniuria, credo. Intelliguntur enim *infantes, quos habebant*, ubi nostra lingua dicimus, *sie brachten aber auch ihre Kinder zu ihm.* Cf. quae excitavi supra XVIII, 8. v. 31. τοὺς δώδεκα, τὰς ἀγέλας Memor. II, 7, 2. Ad αὐτοῖς cogitatione addendum τοῖς προςφέρουσι, qui latent in verbis προςέφερον τὰ βρέφη. Vid. *Fritzsch.* ad Matth. p. 598.

v. 23. ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα]. Adverbium adiectivo postpositum est etiam Matth. II, 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα, Marc. XVI, 4. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα, Apocal. XVI, 21. μεγάλη ἐστὶν ἡ πληγὴ αὐτῆς σφόδρα, Deuteron. III, 5. πλὴν τῶν πόλεων τῶν Φερεζαίων τῶν πολλῶν σφόδρα, neque aliter apud Atticos scriptores omnis generis adverbia extremo loco posita comparent. Exempla notavi ad Anab. II, 6, 9.

Cyrop. III, 3, 55. IV, 5, 12. Memor. III, 5, 17. *Schaefer*. Demosth. Apparat. V. p. 367. Hebraei queque voci מָאוֹד eandem sedem tribuunt Deuteron. l. l.

v. 27. *τὰ ἀδύνατα παρ' ἀνθρώποις*] i. e. *ἃ ἀδύνατά ἐστι παρ' ἀνθρ.* Quae quantumvis nota res sit, tamen testimonii causa invabit comparasse Memorab. III, 9, 9. *πράξοντας τὰ βελτίω τούτων*, i. e. *ἃ βελτίω ἐστί τούτων.* II, 5, 5. *τὸ πλεῖον τῆς ἀξίας.* Aristoph. Ran. v. 6. *τὸ πάνυ γέλοιον εἴπω;*

v. 28. *ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμεν*]. BL. *ἀφέντες τὰ ἴδια* D. *τὰ ἴδια ἀφέντες*, alii *πάντα τὰ ἴδια ἀφέντες* exhibent, in *τὰ ἴδια* etiam conversionibus nonnullis consentientibus. Verum est haud dubie *ἀφέντες τὰ ἴδια* partim propter testium, qui tuentur, auctoritatem, partim quia quae exquisitiora habentur non uno loco videas ab evangelista praelata esse. Sed omnium tamen gravissimum argumentum hoc est, quod cum vulgata ad exemplum locorum Matth. XIX, 27. Marc. X, 28. Luc. V, 11. confingi potuerit, altera lectio nihil in his libris habet simile. De exquisitiore loquendi ratione quod dixi, *Porsoni* verba sunt Addend. ad Eurip. Hec. 1161. p. 103. ed. tert. „Elegantius est participium cum verbo, copula omissa, coniunctum, quam duo verba per copulam coniuncta.“ Vid. notata ad Cyrop. IV, 5, 21. *τὰ ἴδια* autem significant *bona*, *quae singuli possident*, *peculium*, *τὰς ἰδίας οὐσίας*, sicut priscus nescio quis interpres explicavit in Lysiae Orat. XIII. Agorat. §. 47. Bekk. *πρὸς δὲ τούτοις τὰ ἴδια ἀπωλέσατε.* Verissima enim esse iudico, quae hanc in rem dispu-

tavit Carolus *Foertsch.* Observatt. critt. in Lysiae Orat. p. 27.

v. 31. *τελεσθήσεται — τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου*] *περὶ τοῦ υἱοῦ* et codicibus nonnullis et versionibus commendantibus non improbavit *Schulzius* all. VII, 27. XXIV, 44. Act. XIII, 29. all. Nollem factum: quid enim hac scriptura glossemati similius est? *Winero* quid placuerit, non satis liquet ex eius grammat. §. 24. 3. P. II, p. 67. Vereor certe, ne sermonis leges non admittant hanc interpretationem: *quae dei filio in scriptura s. destinata sunt;* ἐπί addidit Ioh. XII, 16. ubi cod. D. *περὶ αὐτοῦ.* Imo verba *τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν* tam arte inter se coniuncta sunt, tamque frequenter his in libris copulata reperiuntur (cf. Act. XIII, 29. 40.) ut graecus dativus sine molestia et offensione ad *τελεσθήσεται* trahi queat: *omnia quae per prophetas scripta sunt, a dei filio perficientur*, i. e. satisfiet prophetarum vaticiniis a dei filio. Sic *τελεῖν* intelligendum etiam II, 39. Act. XIII, 29.

v. 34. *Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν — λεγόμενα*]. Mirare tantam verborum copiam in re, quam satis fuisse existimes uno verbo absolvisse, sed eadem asseverandi abundantia post simillimam sententiam locum habuit IX, 45. *οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό.*

v. 36. *ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο*]. Recte post *τι* voculam *ἄν* servarunt DKLMQ all., etiam XV, 26. ab multis membranis exhibitam. Vid. *Winer.* gr. §. 35. p. 122. §. 36. 3. inprimis Act. V, 24. X,

17. XVII, 18. XXI, 33. Luc. IX, 46. et *Hermann.* ad Viger. p. 742. n. 148.

v. 41. κύριε, ἵνα ἀναβλέψω]. Ante ἵνα suppressa sunt verba θέλω ποιήσῃς s. brevius ποίησον, non enim *Fritzschio* assentior ad Matth. XX, 33.

Cap. XIX. v. 2. καὶ οὗτος ἦν πλούσιος] *et hic erat dives.* Quae pronominis demonstrativi repetitio, quantumvis mira, tamen non sine exemplo est. Enimvero eodem plane modo post αὐτός cum gravitate quadam οὗτος de voluptate dicitur ex victoria conciliata Cyrop. IV, 1, 15. Ἢν μὲν τοίνυν, ἐπεὶ εὐτυχοῦμεν, σωφρόνως διαφυλάττωμεν αὐτήν, ἴσως δυναίμεθ' ἂν ἀκινδύνως εὐδαιμονοῦντες γηρᾷν· εἰ δ' ἀπλήστως χρώμενοι ταύτῃ ἄλλην καὶ ἄλλην πειρασόμεθα διώκειν κ. τ. λ. atque Lysias III, 21. de eadem persona utroque pronomine usus est ἐπειδὴ δὲ αὐτῷ οὐδὲν μέλει τῶν ὅρκων, ὧν διωμόσατο, πειράσομαι καὶ περὶ ὧν οὗτος ἔψευσται διδάσκειν ὑμᾶς. Cf. *Schaefer.* Apparat. Demosth. Vol. V. p. 628. Nemo igitur diffitebitur, recte αὐτός et οὗτος ad Zacchaeum sic referri, ut οὗτος non sine emphasi iteratum putetur. Sed malim tamen deleto ἦν imperfecto, quod BK 13. 42 alii ignorant, vulgatae duritiem hac interpretatione mollias: *et is dives* s. *isque dives*, *und zwar reich.* Sic certe Herodotus aliique Graeci, quorum ad testimonia provocarunt *Matthiae* §. 470. 6. et §. 316. p. 622. et *Wahlius* Clav. II. p. 223.

v. 4. ἐκείνης]. Scribendum ἐκείνῃ proposui ad V, 19. ut quod docti olim magistri, quos librariorum nomine comprehendimus, per δί' ἐκείνης explicave-

rint. Valckenarius interpretatus: *propter ficum silvestrem* mirum ni praepositionem aliquam ante ἐκείνης desideravit.

v. 8. δίδωμι — ἀποδίδωμι]. Laetatus Zacchaeus, quod suam peccateris domum Christus intraverat, simul eiusdem praeceptis et cohortationibus commotus *Dimidiam partem divitiarum mearum*, inquit, *dare volo pauperibus, et si quem ulla in re defraudavi, reddere quadruplum.* Hanc enim significationem esse praesentis temporis δίδωμι, nescientem docebunt *Wunderlich.* Praefat. ad Demosth. orat. p. Coron. p. 45 sq. *Creuzer.* Mell. critt. III. p. 30. et *Iacobs* Attic. p. 14. Cf. ad V, 6.

v. 9. καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν] *quandequidem ipse quoque* (dominus familiae, paterfamilias) *filius est Abrahami.* Ita malim *Valckenario* auctore redditum pronomen, quam cum aliis dicere, αὐτός pro οὗτος substitutum esse. Usum illum pronominis confirmabunt *Hermann.* ad Viger. p. 733. n. 123. b. I. *Matthiae* §. 467. p. 867. Xen. Memor. III, 8, 10. Apol. 31.

v. 14. ἀπέστειλαν]. Humani aliquid excidit *Valckenario*, quem invitus vitupero, cum ad ἀπέστειλαν haec notaret: „Istiusm. formae in αν, quae vix reperientur in scriptis Graecorum, sunt ex dialecto Alexandrinorum. Hinc in Vers. Gr. Veteris Foederis reperientur ubiq. ἔπεσαν, εἶπαν, ἔστειλαν, εὗραν etc.“ Namque ἐπέστειλαν, ἀπέστειλαν, ἔστειλαν in optimae notae scriptis non legisse virum tantum ecquis probabile esse putabit? Aut quis coacervandis formis legitimis operam et oleum perdiderit? Imo

discamus ex hoc quoque exemplo, quam facile sit his in rebus etiam ei qui summus criticus est vel habetur, a vero aberrare et labi.

v. 14. *οὐ θέλομεν τοῦτον βασιλεῦσαι ἐφ' ἡμᾶς*]. *Marklandus* ad Lys. I. p. 280 sq. edit. Reisk. „Mox *οὐκ ἀξιῶ ὑμᾶς ἔχειν* ponitur pro *ἀξιῶ ὑμᾶς οὐκ ἔχειν*: ut Luc. XIX, 14. *θέλομεν τοῦτον οὐ* (vel *μὴ*) *βασιλεῦσαι ἐφ' ἡμᾶς: petimus, ut hic ne sit rex noster;* alterum enim nimis insolens, quam pro subditis et deprecatoribus. Ita et Hebr. XI, 3. *μὴ ἐκ φαινομένων* pro *ἐκ μὴ φαινομένων*. Thucydides saepe ita scribit.“ De Thucydide consulendi sunt, quos ad Memor. III, 10, 15. commemoravi, sed cum diversi haec sint generis, non absimilia illis requirentibus efferet *Bremi* ad Lys. Orat. pro bonis Aristoph. 45. p. 220. Aeschin. adv. Ctesiph. 71. p. 320.

v. 15. *τίς τί διεπραγματεύσατο*]. Duae quaestiones in unam concinnatae, ut apud Romanos: *quis quid negotiando lucratus esset*, i. e. quis aliquid lucratus esset et quid is lucratus esset, vid. *Ramshorn.* gr. lat. §. 160. p. 369. Similium exemplorum ex graecis scriptoribus conquisitorum quod satis est habent a me allati critici ad Memor. I, 4, 14. II, 2, 1. 3., quibus *Wineri* gr. §. 51. 3. ditaveris.

v. 27. *πλὴν τοὺς ἐχθρούς μου ἐκείνους, τοὺς μὴ θελήσαντας*]. Pro *ἐκείνους* membranae BKLM 42. al. 3 Mt. r. scriptum habent *τούτους*, quo nihil mihi esse videtur verius. Displicuit enim *οὗτος* de absentibus dictum, neque id iure, siquidem contrarium ostenderunt *Marklandus* ad Demosth. Orat. de male gesta leg. p. 364. v. 23. *Schaeferi* Apparat. II.

p. 495. et ad Maximi Tyr. Dissertt. XXIII, 3. p. 444. cl. *Matthiae* gr. 479. 4. Intelliguntur *inimici isti, de quibus audivistis omnes*, qui vobis noti sunt. De interpunctione si quaeris, incisuriine sit post μοῦ an post τούτους figendum, ne dicam nulla in talibus distinctione opus esse, magis ex Lucae usu fuerit nomini postponi pronomen, quam praemitti, cf. not. ad XVIII, 11. Minime autem vereor, ne quis cum *Gersdorfio* l. l. p. 440. Act. I, 11. interpungere audeat: οὗτος, ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλήφθεὶς ἀφ' ὑμῶν: id quod multae causae sunt quae fieri vetent. Cf. v. 42. infra et XXI, 3. varr. lectt.

v. 35. ἐπιῤῥίψαντες — ἐπὶ τὸν πῶλον ἐπεβίβασαν]. Adverte eandem ambobus verbis praefixam praepositionem, ut Act. XXIV, 25. μεταλαβὼν μετεκαλέσομαί σε, XI, 19. διασπαρέντες — διῆλθον, supra V, 2. ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλευσαν, Xenoph. Cyrop. III, 3, 31. καθορῶντες — καταφρονήσουσι, IV, 2, 22. προπετάσαντες ἡμῶν προπορεύεσθε ἔμπροσθεν, Isocrat. de Bigis p. 350. κατεδέξασθε καταλελυμένου τοῦ θήμου et quae praeterea ad Cyrop. VII, 1, 18. παρελάσας πυρὰ τὰ σαυτοῦ ἅρματα παρακαλεῖ excitata reperies. Paulo post v. 37. vix dignum memoratu, vitium inesse in his *Kuinoelii*: „ὧν εἶδον *positum est pro* ἃ εἶδον," quod per secundam et tert. editionem propagatum video.

v. 38. ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι κυρίου]. Quamquam Matth. XXI, 9. et Marc. XI, 9. nomen βασιλεύς omittunt, ut postrema verba apud Lucam interiecto rege temere videantur a participio avulsa esse, tamen nihil habet hic ipse verborum ordo, in

quo quis iure haereat. Infra cap. XXIII, 48. οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην. Xenoph. Hellen. V, 2, 4. τὸν ῥέοντα ποταμὸν διὰ τῆς πόλεως, III. 4, 11. ἐπὶ τῷ καταβάντι στρατεύματι παρὰ βασιλέως, Demosth. de rebus Chers. p. 95. v. 4. τὰ παρόντα πράγματα τῇ πόλει, qui hac traiectione permultis locis usus est teste *Schaefero* Apparat. T. I. p. 448. T. II. p. 246. T. III. p. 282. Ex iis quoque, quae larga manu *Winerus* dedit gr. §. 52. 1. a. p. 193. et P. II. p. 173 sq. plura huc pertinere attentos minime latuerit.

v. 42. καί γε] *et quidem*. Contra Act. II, 18. significant *adeoque*. Ibidem XVII, 27., in praeclara Pauli oratione compluribus elegantiis referta καίτοιγε cum participio copulatum quum ab attici sermonis puritate nonnihil recedat (exemplis afferendis abstinuit Matthiae §. 566.), praestabit e codicibus expromtum καίγε *Griesbachio* non improbante textis inferri. Nunquam autem apud Atticos scriptores nisi interposita alia voce, quam γε vel efferat vel restringat, in usu fuisse creditur utraque particula; vid. tamen *Creuzer*. ad Plotin. de Pulcrit. p. 450. et Dio Cass. LV, 2. p. 336. καί γε αἱ ἀνοχαὶ — γεγήσεσθαι ἔμελλον.

Cap. XX. v. 11. ἀτιμάσαντες]. Georg. Lecap. in *Matthaei* Lectt. Mosqq. I. p. 55.: ἀτιμάζω λέγεται ἐπὶ ἀψύχων, τὸ δὲ ἀτιμῶ ἐπὶ ἐμψύχων. Sed alii aliter hanc differentiam constitueruht, veterum locis parum confirmatam, vide not. ad Memor. IV, 2, 29.

v. 13. ἴσως]. „Non dubitantis est, sed fere eandem vim habet quam ἄμαι v. 10. Vernacule

wohl. V. not. ad Longi Pastoral. p. 357." *Schaefer.* Demosth. Apparat. Tom. I. p. 852. qui iisdem paene verbis eandem observationem iteravit ad Leptineam T. III. p. 69. exemplis laudatis ad Dionys. Hal. de Compos. Verb. p. 269. quibus accedant not. ad Conviv. p. 94. „Sed ne quis (verba sunt *Hermanni* ad Soph. Oed. Col. v. 667.), quod quibusdam accidisse video, exuere id propriam suam vim putet, monendum est, pertinere hunc usum ad illam dicendi figuram, qua omnes linguae, Graeca autem maxime utitur, ut oratio dubitationem prae se ferens voce pronuntiantis in asseverationem convertatur." Similiter Latini *fortasse* usurparunt testante *Heindorf.* ad Horat. Sat. I, 6, 98. p. 156.

v. 17. *λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν — οὗτος ἐγενήθη*]. In simillima structura ne pronomen quidem demonstrativum inseruit Solon Brunckii Gnom. Poet. V, 9 sq. *πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοὶ, παραγίγνεται ἀνθρὶ ἔμπεδος*, vel Sophocles Trachin. v. 282. *τάςδε δ' ἅςπερ εἰςορᾶς, — εὑροῦσαι βίον χωροῦσι πρὸς σέ*, quae accepta refero *Porsoni* et *Schaeferi* industriae ad Eurip. Orest. v. 1645. quos consulas.

v. 19. *πρὸς αὐτούς*]. Num ad populum, *τὸν λαόν*? Minime gentium, sed ad legis peritos et sacerdotes. Itaque *πρὸς αὐτούς* reponendum arbitror.

v. 27. *τινὲς τῶν Σαδδουκαίων, οἱ ἀντιλέγοντες*]. Diversa ratio erat verborum XVIII, 9. Non enim alii Sadducaei aliter de resurrectione mortuorum statuerunt, sed omnes in eadem sententia consenserunt. Iam vero etsi apud omnes constat, parti-

cipium ei nomini, quod circumscribitur, accommodari debere, tamen nonnunquam factum videmus, ut ei vocabulo adhaereat, quod periphrasi inservit. Thucyd. I, 110. quae scripsit τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα ἐφθάρη, ἐξ ἔτη πολεμήσαντα pro πολεμηθέντων, satis ad eum locum tuentur interpretes. Magis ab evangelistae verbis recedunt talia, qualia leguntur Cyrop. I, 4, 26. et Thucyd. VIII, 48. ubi adibis interpretes. Plerumque enim hoc dicendi genus ita comparatum est, ut manifestum sit scriptorem, a legitima scriptura aberrantem aliud verbum, quam quod posuit, in mente habuisse. Genitivos τῶν ἀντιλεγόντων h. l. requirl vidit etiam *Winerus* gr. P. II. p. 180 sq. Ut commemorem quod non absimile sit, Marcus verbis tamen pluribus interpositis XII, 38 sqq. scripsit βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν — οἱ κατεσθίοντες. *Iacobsius* ad Anthol. Palat. p. 64. postquam inter alia Homericum illud laudavit: Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος· Ἠετίων ὅς ἔναιεν ὑπὸ πλάκῳ ὑληέσσῃ, explicationis causa haec subiecit: „Similis est negligentia, sed frequentius obvia, quum nominativus participii alii casui additur.“ Cf. eiusdem Delect. Epigr. p. 147.

v. 31. οὐ κατέλιπον τέκνα καὶ ἀπέθανον]. Ne mireris prothysteron, primaria enim sententia secundariae eadem ratione praemissa est, qua V, 28. Καὶ καταλιπὼν ἅπαντα, ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ, Evang. Ioh. XV, 6. ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη. In graecis scriptoribus, si qui *Schaeferi* notam consuluerint ad Sophoclis Oed.

Reg. v. 827. et ad Demosth. p. 369. v. 23. haud pauca reperient, quae cum illis commode comparabuntur.

v. 33. *τίνος αὐτῶν γίνεται γυνή*]. Non nescio, *γυνή* in iis esse nominibus, quae salvo sensu carere possunt articulo, vid. *Schaefer*. Mell. critt. p. 116 sq. sed rectius sine dubio cum *Fritzschio* ad Matth. p. 662. *ἡ γυνή* suppleveris, ut interrogationis haec sit ratio: *haec mulier cuiusnam illorum fit uxor?*

v. 35. *οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν*]. *Valckenarius:* „Verbum *τυχεῖν*, inquit, inter illa est, quae sic eleganter solent a quibusvis scriptoribus adiici.“ Viro summo ne fidem deroges, iuvabit aliquot exempla apponere: Sophoclis Electr. v. 356. *τῆς σῆς δ' οὐκ ἐρῶ τιμῆς τυχεῖν*, ibid. 532. Herm. *ἢ τῶν ἐμῶν Αἴδης τὸν ἵμερον τέκνων ἢ τῶν ἐκείνης ἔσχε δαίσασθαι πλέον*; Xenoph. Anab. V, 4, 9. *τί ἡμῶν δεήσεσθε χρήσασθαι.* Herodt. I, 35. *κατὰ νόμους τοὺς ἐπιχωρίους καθαρσίου ἐδέετο κυρῆσαι.* Alia tibi eligas ex not. *Schneideri* ad Anab. p. 342. ed. meae, *Schaefer*. et *Porson.* ad Eurip. Med. 1396. etiam ad Soph. Electr. 543. *Schaefer*. Nam ab Evangelistae verbis proxime absunt haec Isocratis Plataic. p. 334. 5. Bekker. *ἀλλ' οὐδὲ δουλείας μικρίας τυχεῖν ἠξιώθημεν*, Eurip. Helen. 403. Matth. *οὐκ ἀξιοῦμαι τοῦδε πρὸς θεῶν τυχεῖν*, Soph. Electr. 787. *πολλῶν ἂν ἥκοις ἄξιος τυχεῖν.* Aeschyli Prometh. 247. *τούτου τυχεῖν οὐκ ἠξιώθην αὐτός*, ibique in Gloss. a *Blomfield.* notata. Cf. *Valckenar.* ad Act. III, 3. et *Winer.* gr. P. II. p. 191.

v. 36. *οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται, — καὶ υἱοί εἰσι*]. Pro *οὔτε* membranae ADL. 106. 157. ex-

hibent οὐδέ, quod correctioni deberi arbitror. Vulgata enim ad καί refertur, quemadmodum alibi οὔτε — τε mutuo sibi respondent. III. Ioh. 10. οὔτε αὐτὸς ἐπιδέχεται τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τοὺς βουλομένους κωλύει. Herodt. VII, 49. οὔτε γὰρ τῆς θαλάσσης ἐστὶ λιμὴν τοσοῦτος — καὶ δὴ — τὸ ἕτερον ἔρχομαι ἐρέων. Pausanias I, 6, 5. Δημήτριος δὲ οὔτε παντάπασιν ἐξεστήκει Πτολεμαίῳ τῆς χώρας, καί τινας τῶν Αἰγυπτίων λοχήσας διέφθειρεν. Adde Matthiae gr. §. 609. p. 1226. Winer. gr. P. II. p. 155.

v. 43. ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου]. Graecissantes scriptores nemo ignorat quam in hac dicendi formula multi fuerint, vid. Act. II, 35. Hebr. X, 13. *Wahl.* Clav. II. p. 663 sq. minus notum, Electram simili imagine usam precari deos Soph. Electr. 447. Herm. παῖδ' Ὀρέστην ἐξ ὑπερτέρας χερὸς ἐχθροῖσιν αὐτοῦ ζῶντ' ἐπεμβῆναι ποδί, atque vocabulum ὑποπόδιον Athenaeum usurpasse V. 20. p. 192. E. (425. Dind.) ὁ γὰρ θρόνος αὐτὸ μόνον πλευθέριός ἐστι καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ.

Cap. XXI. v. 1. εἶδε τοὺς βάλλοντας — πλουσίους]. Quaeritur τοῖς βάλλοντας πλουσίους num unam notionem constituant, an suppleto participio ὄντας praedicati vicem πλουσίους sustineat. Prius si sequimur, sensus est: *vidit divites, qui conticiebant*, alterum ita vertemus: *vidit eos, qui conticiebant, esse divites:* idque mihi quidem praestare videtur, quum praesertim hac participii omissione nihil sit frequentius. Act. XXIV, 5: εὑρόντες γὰρ τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμόν sc. ὄντα, quo in loco interpunctio ut mutetur frustra postulat *Gersdorf. Beiträge* p. 439.

Xenoph. Cyrop. III, 3, 67. *Ἰδοῦσαι δὲ αἱ γυναῖκες — ἤδη φυγὴν ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἀνέκραγον*, I, 6, 23. *ὅ τι δὲ γνοίης βέλτιον πραχθῆναι.* Vid. not. ad I, 35. et ad Memor. I, 5, 1.

v. 4. *ἅπαντες γὰρ οὗτοι*] v. 3. legimus *αὕτη* de vidua, item paulo post de eadem *αὕτη*, neque tamen *ἅπαντες ἐκεῖνοι* de locupletibus illis munera sua in aerarium coniicientibus. Apparet igitur, *οὗτος* subinde ad remotius subiectum referri, neque ad hoc demonstrandum alium facile locum magis esse perspicuum. Alios dederunt *Winer.* gr. §. 17. p. 66. P. II. p. 54 sq. egoque ad Xenoph. Conviv. p. 121 sq. Cf. etiam *Feertsch.* Observatt. p. 74.

v. 6. *Ταῦτα, ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι*]. Perrecturus erat: *ἐν αἷς καταλυθήσεται*, sed interposita formula proverbiali (XIX, 44.) admisit accusativum absolutum. Idem accidit Xenophonti Cyrop. II, 1, 5. *Τοὺς μέντοι Ἕλληνας, τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ οἰκοῦντας, οὐδέν πω σαφὲς λέγεται, εἰ ἔφονται,* aliisque a *Winero* laudatis gr. §. 22. p. 74 sq. P. II. p. 59. meque ipse ad Act. XXIV, 5.

v. 8. *καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε*]. *Markilandus* ad Lys. Or. p. 361. Reisk. „haec ultima, inquit, vulgo confunduntur, *καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε*, quasi essent Christi verba in sua persona loquentis; cum revera sint ea, quibus usuri essent impostores, libertatem sectatoribus suis promittentes, et, *Nunc tempus esse*, praedicantes.“ Cf. not. ad II, 14.

v. 9. *μὴ πτοηθῆτε*] XXIV, 37. idem verbum cum *ἔμφοβοι γενόμενοι* iunctum, ut in Plutarchi Opp. Moral. p. 451. A. *ἀμήχανοι πτοῖαι καὶ φόβοι τῆς ψυχῆς*

posita sunt ἐκ παραλλήλου, *Wyttenbachio* teste ad Plutarch. Opp. Mor. T. I. p. 597., notat proprie *percussionem animi subitam* et initium *perturbationis*, deinde *permanentem a subita percussione profectam perturbationem*, *sive cum cupiditate sive timore coniunctam.* Hinc centies cum ταραχή copulatur πτοία, uti idem l. l. demonstravit, nec minus de amore quam de pavore usurpatum fuit. Vid. *Fischer.* ad Platon. Phaedon. p. 68. C. (55 sq. Heind.). *Schaefer.* ad Dionys. Hal. de Compos. p. 10. *Blomfield.* Gloss. ad Aeschyli Prometh. 881. et *Schweighaeuser.* Ind. ad Epicteti Dissert. p. 438.

v. 12. διώξουσι] sc. ὑμᾶς, quod habent Matthaeus et Marcus.

v. 15. ἀντειπεῖν ἢ ἀντιστῆναι]. Illud ad στόμα, hoc ad σοφίαν videtur respicere. „Sed pro οὐδὲ ἀντιστῆναι in aliis libris legitur ἢ ἀνταστῆναι (quam lectionem in ordinem contulit *Griesbachius*), in aliis ἢ ἀντιστῆναι deest, in aliis positum legitur ante verbum ἀντειπεῖν, haec inconstantia et adiecta particula ἢ lectionem ipsam suspectam reddunt. Librarii enim saepius glossemata in contexta receperunt, ita ut ea glossis vel praeponerent vel postponerent, et adiicerent voculas ἢ vid. *Muretus* Lectt. Var. 15, 16. καί v. ad Marc. VI, 31. *aut* v. Cic. Cat. M. 6. *vel* v. Flor. 2, 18, 2. Itaque lectiones ἢ l. οὐδὲ ἀντιστῆναι e glossemate extitisse puto.“ Qua in adnotatione *Kuinoelii* multa insunt, quae correctione indigeant. Ut omittam neque in Orelliana neque in Gernhardiana Ciceronis editione quidquam varietatis reperiri, quod viri doctissimi praecepis addicat, prae-

ter Cantabrigiensem nullus laudatur codex, qui verba ἢ ἀντιστῆναι ignoraverit. Contra haec ἀντειπεῖν ἢ desunt in D. gr. Syr. Pers. aliis, atque ἀντιστ. qui ante ἀντειπεῖν ponere dicuntur BL. 13. 69. all., non additur, num scriptum habeant ἀντιστῆναι ἀντειπεῖν, an, quod probabilius est, ἀντιστῆναι ἢ vel οὐδὲ ἀντειπεῖν *). Illud tamen non est quod quis dubitet, ab librorum Mss. fide magis suspecta esse ἀντειπεῖν ἢ, quam ἢ vel οὐδὲ ἀντιστῆναι, quae postrema vox adeo *Kuinoelio* non indigna visa est, quam per ἀντειπεῖν explicaret. Sed ulla mutatione omnino abstinendum existimo, quippe suspicans, turbam hanc totam in codices inde irrepsisse, quod litera ἢ a vicina ν elisa et absorpta (vid. Gregor. Corinth. p. 116. ed. *Schaef.* et eiusdem Meli. critt. p. 11. 107.) pars οὐδέ interseruit, alii alterum utrum verbum omiserunt, alii, ut novos in posterum evitarent errores, ambo verba inverterunt. Synonyma alias quoties Graeci iunxerint, nescientes docebunt *Winer.* gr. P. II. p. 191. et *Schaefer.* Apparat. Demosth. III. p. 384. 477.

v. 16. θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν] sc. τινάς. Ioh. XVI, 17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς ἀλλήλους, XVIII, 17. μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν εἶ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; *Winer.* gr. §. 19. extr. et *Vorstius* Hebraism. c. 28. collegerunt plura.

v. 19. κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν]. Pro κτήσασθε quia in aliquot codicibus κτήσεσθε scriptum est, haud

*) Posteriora haec nunc video confirmare editionem *Scholzii:* ἢ (οὐδὲ B Arm.) ἀντειπεῖν ponunt post ἀντιστῆναι BL. 13. 69. 124. 157. 346. alii etc.

pauci interpretes in animum induxerant, futuri loco imperativum collocatum esse. At fieri hoc per linguae leges nequit. Formula οἶσθ' οὖν ὃ δράσον quid sibi velit, ad Vigerum ostendit *Hermannus* p. 740 n. 143, cl. *Matthiae* §. 511. 4. In Platonicis autem ab *Hoogeweeno* excitatis p. 198. manifestum est στάθητι significare: *stare debes*, quod et ipsum nihil obstat quo minus in evangelistae verba transferas, vid. *Markland.* ad Eurip. Iphig. Aulid. v. 734. Illud ἔπαρον in Psalm. LXXIII, 3. quis pro futuro accipiet? Platon. Protag. p. 338. A. ὡς οὖν ποιήσετε, καὶ πείθεσθέ μοι ῥαβδοῦχον καὶ ἐπιστάτην καὶ πρύτανιν ἑλέσθαι quamvis futurum praecedat, tamen nemo non dubitabit imperativum in alienam trahere explicationem. Postremo nolim κτήσεσθε h. l. in textu quisquam admittat. Cf. XXII, 10 sq. Ceterum loquutionem πᾶσθαι τὴν ψυχήν illustrare exemplis dignatus est idem *Markland.* ad Lys. Orat. p. 87. Reisk.

v. 22. ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗαί εἰσι] i. e. αἷται αἱ ἡμέραι εἰσὶν ἡμέραι ἐκδικήσεως, ubi nostrates dicunt: *das sind Tage der Strafe.* Nota hodie res est, quam tirones accuratius cognoscant ex Aristophanis Coniect. *Reisig.* p. 177 sq. not. ad Cyrop. I, 5, 3. Memor. IV, 6, 15. et *Winer.* gr. P. II. p. 48 sq.

v. 25. ἐν ἀπορίᾳ ἰχούσης θαλάσσης καὶ σάλου] *prae consilii inopia strepentibus maris fluctibus agitatis.* Ita vulgo interpretantur, quae incertae sunt lectionis. Etenim ἐν ἀπορίᾳ ἤχους θαλάσσης ex membranis haud contemnendis recepit *Griesbach.* Synops. Evang. p. 265. ed. tert., idque ipsum a *Kuinoelio* non improbatum vertitur: *prae consilii*

inopia, qualem efficit strepitus maris, paulo durius, si quid video. Mihi enim antiquitus lectum fuisse videtur ἐν ἀπειρίᾳ ἤχους θαλ. *in imperitia strepitus, quem faciet mare.* Nimirum insolitus maris strepitus, quem auribus percipient, populos perturbabit pariter atque tot hominum interitus, quem nondum viderant.

v. 26. αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται]. *Lucan.* Pharsal. I, 72. sic, cum compage soluta Saecula tot mundi suprema coegerit hora, Antiquum repetent iterum chaos omnia: *mixtis Sidera sideribus concurrent:* ignea pontum Astra petent: tellus extendere litora nolet Excutietque fretum etc. Vid. ibi edit. *Cortii* et *Weber.* p. 27.

v. 34. καὶ ἀφνίδιος]. Plenius scripsisset καὶ μὴ ἀφνίδιος, sed noluit repetere, quod Graeci et Hebraei lectoribus subaudiendum relinquunt. Vid. *Winer.* gr. P. II. p. 155. et Psalm. IX, 19. Nam quod in aliis libris continetur ἀφνιδίως, merum est vulgatae interpretamentum, siquidem vera sunt, quae de quorundam adiectivorum usu *Matthiae* gr. §. 446. 8. et *Winer.* gr. P. II. p. 145. sq. praeceperunt.

v. 36. ταῦτα πάντα]. Pronomen ταῦτα quum alii codices omisissent, alii post πάντα intulissent, non improbabilis *Kuinoelio* visa est *Schotti* sententia, ταῦτα ex v. 31. invectum fuisse. Cui opinioni non habeo quod opponam, nisi quod perpetuam video in membranis confusionem esse inter ταῦτα et πάντα atque inter ταῦτα πάντα et πάντα ταῦτα. Postrema haec a scriptoribus distingui statuit *Fritzsch.* ad Matth. p. 719. 720. sed refragantibus usu et *Schae-*

fero ad Demosth. Orat. de Pace p. 62. v. 28. Vide nostra ad Memor. II, 2, 7. et *Gersdorf. Beiträge* p. 205. 272. 447 sqq.

Cap. XXII. v. 6. ἄτερ ὄχλου] *sine tumultu*. *Valckenarius*: „Ex istiusmodi voculis aestimare licet L. legisse scriptores graecos; nam vocula ἄτερ non sane fuit in sermone quotidiano, trita Sophocli, frequens et poetis, nec in N. T. invenietur praeterquam a L. usurpata.“ In Plutarch. libr. *de cap. ex inimicis util.* init. irrepsisse ἄτερ dicitur ex antecedente Πολυχερ *Wyttenbachio* auctore p. 614. Vid. tamen *Steph. Thesaur.* gr. linguae p. 2397. D. et II. Maccab. XII, 15.

v. 10. εἰς τὴν οἰκίαν οὗ εἰσπορεύεται]. AKMP al. οὗ ἐάν ex Marc. XIV, 14. ὅπου ἐὰν εἰσέλθῃ dederunt, contra εἰς ἣν BCL ex interpretatione, X, 1. εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ τόπον, οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι. XXIV, 28. 21. Act. I, 13. VII, 29. XII, 12. XX, 6. 8. Rom. IX, 26. etc. Eurip. Phoeniss. v. 945 Pors. δεῖ τόνδε θαλάμαις, οὗ δράκων ὁ γηγενὴς ἐγένετο. Xenoph. Anab. I, 2, 22. εἶδε τὰς σκηνάς, οὗ ἐφύλαττον οἱ Κίλικες. Ibidem §. 20. ἔμειναν ἡμέρας τρεῖς, ἐν ᾧ Κῦρος ἀπέκτεινεν pro ἐν ᾧ cum libris deterioribus ἐν αἷς legebatur.

v. 11. τῷ οἰκοδεσπότῃ τῆς οἰκίας]. Cum his compara loquutiones οἰκοφύλαξ δόμων, αἰπόλια αἰγῶν, αἰπόλος αἰγῶν, συβόσια συῶν, de quibus dictum ab *Hermanno* ad Viger. p. 886. et *Weiskio* Pleonasm. p. 24. τὰ βουκόλια τῶν βοῶν Deuteron. VII, 13. Nec *Valckenarius* ad h. l. non consulendus est.

v. 15. ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα]. In his hebraismum

inesse fuit cum existimarent *Vorstio* auctore Hebraism. c. 34., contra quam graeci voluerunt scriptores, quos testatus sum Addend. et Corrig. p. 303. Nunc addas στεφάνῳ στεφανοῦν Aristoph. Plut. v. 592. *Osann.* Syllog. Inscript. p. 135. lapid. p. 137. Xenophont. Anab. IV, 5, 33. δρόμῳ θεῖν not. ad Anab. IV, 6, 25. quaeque habet *Winer.* gr. P. II. p. 146.

v. 16. οὐκέτι οὐ μὴ φάγω] i. e. *non iam metuendum est, ne comedam, s. non iam comedam.* Sed οὐκέτι ignoratum ab ABL. et aliis codd. ex Marc. XIV, 25. videtur huc translatum esse. Quae suspicio utcunque se habet, per se negationum ille complexus ita comparatus est, apprime ut linguae legibus conveniat. Verba Anthol. Palatin. XI, 117. οὐδ' ἐλέφαντα οὐκέτι μήποτ' ἴδῃ πλησίον ἑσταότα *Iacobsius* explicat T. III. p. 679. et Delect. Epigr. p. 189. Aliis in locis alias negationes praemissas videbis, ut in οὐδὲν οὐ μὴ ταράξῃ Lucian. Philops. extr. p. 366. edit. *Fritzsch.* οὐδέποτ' οὐδὲν ἡμῖν οὐ μὴ γένηται Demosth. Philipp. I. p. 53. v. 4.

v. 19. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν] τοῦτο respicit ad id, quod Christus fecit, neque secus accipiendum est, ac si dixisset: λαβόντες ἄρτον εὐχαριστήσαντες κλάσατε καὶ δίδοτε ἑαυτοῖς. Ad remotiora igitur pronomen demonstrativum referas, ut in Sophoclis Oed. Col. 24. τὰς γοῦν Ἀθήνας οἶδα· τὸν δὲ χῶρον οὔ· πᾶς γάρ τις ἠῦδα τοῦτό γ' ἥμιν ἐμπόρων, ubi usum hunc pronominis explanavit *Doederlein.* Vid. annot. ad XXI, 4. Praeterea notanda est vis pronominis possessivi ἐμήν, quae nihil distat ab ἐμοῦ. Par ratio est et eorum, quae ad Anabas. VII, 7,

29. φιλίᾳ τῇ σῇ et Cyrop. VIII, 3, 32. τῆς ἐμῆς δωρεᾶς comparavimus, et latinorum exemplorum, quibus in colligendis operam posuit *Ruddimann*, Instit. Gram. Lat. II. p. 46. Vid. *Winer*. gr. §. 16. p. 65. P. II. p. 54. Denique ad verbum ποιεῖν quod attinet, apposite *Schaeferus* notavit Apparat. Demosth. Vol. III. p. 417.: „Graeci saepe usurpant ποιεῖν, ne verbum antegressum repetere cogantur.“ Graecos ea in re imitati sunt Latini et Germani aliaeque gentes. Cf. quae dixi Memorab. III, 8, 2. et ad XI, 39.

v. 20. τοῦτο τὸ ποτήριον — τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνόμενον]. Postrema haec dicta interpretantur pro τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, quod si Lucas voluisset, non exputo quidni posuisset. Solent enim talia additamenta, etiamsi ad remotiora pertinent, tamen adnecti proximis, non solent grammatice cum remotissimis iungi, quae vicino nomini adhaerere debent. Ita, quo loco usus est *Poppo*. Elocut. Thucyd. p. 109 sq. Pindarus Pyth. I, 139. ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλατὸς — ναυσίστονον ὕβριν ἰδών scripsit ἰδών, cum debuisset ἰδόντων. Accedit quod ut diversi sunt generis qui afferuntur loci Ioh. I, 14. Apoc. I, 5. II, 26. III, 12. 21. ita Thucyd. VII, 42. τοῖς Συρακουσίοις κατάπληξις ἐγένετο — ὁρῶντες compluribus interiectis verbis nominativus ita illatus est, ac si οἱ Συρακούσιοι κατεπλήττοντο vel simile aliud praecessisset. Quod idem cum de locis valeat innumeris, tum ab Lucae verbis quam maxime abhorret. Matthaeus vero et Marcus si verba τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον ad τὸ αἷμά μου relata voluerunt, inde minime evin-

citur, Lucae quoque eandem mentem fuisse, praesertim quum τὸ ποτήριον non minus recte, ne dicam rectius ἐκχύνεσθαι dicatur quam τὸ αἷμα. Pancis ut absolvam, hoc sibi vult evangelista: *hoc poculum, quod vestram in salutem effunditur, signum est novi foederis per sanguinem meum sanciendi:* ὑπὲρ ὑμῶν est ad vos servandos, vobis ut bene sit, vid. *Matthiae* ad Eurip. Phoeniss. 1326. et *Schaefer.* Apparat. Demosth. I. p. 190. 570., qui neutra annotatione *Bremio* assensit discrimen inter περί et ὑπέρ facienti. Deseruit igitur sententiam suam *Bremius* ad Demosth. Olynth. p. 188. ed. Goth.

v. 22. καὶ ὁ μὲν υἱός]. Adverte πλήν voculae μέν respondere, qua de re Matth. XXVI, 24. et Marc. XIV, 21. dubitare non sinunt. Sed vulgata ad illorum exemplar locorum videtur efficta esse, verumque, quod repraesentarunt BL. Copt. καὶ ὁ υἱὸς μέν, si modo Lucas addidit a cod. D. post καί infartam.

v. 26. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως] „scil. ποιεῖτε," inquit *Kuinoelius*, „quae verbi ellipsis satis frequens est, vid. *Kypkius* ad h. l. vos vero non ita agite, nemo vestrum dominium in alterum exercere debet." Rectius *Schoettgenius* in Lamberti Bos. libro de Ellipsi p. 611. Schaef. „scil. ἔσεσθε: *Vos autem non sic* (eritis)." Simplicius forsitan dixeris ἐστέ deesse: *vos autem non ita, non tales estis, bey euch ist es nicht so.* Cognatam huic loquendi formulam Schaeferus attigit Apparat. Demosth. III. p. 391. „ἀλλὰ μήπω ταῦτα p. 403, 27. Sed p. 259, 12. ἀλλ' οὔπω περὶ τούτων. Utriusque formulae non eadem

significatio: nam illa prior vetat, haec posterior negat. Ad illam subaudias *εἰρήσθω*, ad hanc *λεκτέον*."

v. 30. *καθίσησθε*]. Libri plerique nec contemnendae illi fidei *καθίσεσθε*, quod non dubitabis reiicere, si vera praecepit *Winer*. gr. §. 9. p. 38.: „*die Futura der Verba auf* ιζω *lauten contrahirt u. s. w.*" sed *καθίσει* habes Matth. XXV, 31. et *καθίσεσθε* XIX, 28. *σαλπίσει* I. Cor. XV, 52. *ἐρίσει* Matth. XII, 19. *φωτίσει* I. Cor. IV, 5. *θερίσει* Gal. VI, 7 sqq. Vid. not. ad Anab. II, 1, 4. et Lobeck. post Phrynich. p. 746. Hoc loco praestat haud dubie futurum, ut quod in coniunctivum facilius transire potuerit, quam contra, sive cum *ἵνα* coniunxeris, sive mutata structura rectam orationem scriptor induxerit. Priorem rationem suadent haec Ioh. XV, 8. *ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί*, ubi itidem quidam codd. *γένησθε* dederunt. Vid. *Winer*. gr. §. 35. p. 122. P. II. p. 95.

v. 31. *ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον*]. Non repetitum est *ὑμᾶς* post *σινιάσαι*, tanquam quod nemo, si absit, desideret. *Valckenarius* tamen „omissa vocula praecedente (*τοῦ*? an *ὑμᾶς*? Certe *ὑμᾶς* cum *σέ* stare nequit), si syllabam repetas, *σινιάσαι σε*, congruit sequentibus: *intercessi περὶ σοῦ pro te*." Sed praeterquam quod *ὑμᾶς* nusquam non repraesentatum est, coniectura illa tantum abest ut narrationem adiuvet, ut eius concinnitati aliquantum officiat. Cur enim fratres a Petro confirmari Christus iusserit, cur ceteris discipulis tam graviter eundem Petrum opposuerit (*περὶ σοῦ, ἡ πίστις σου, σύ ποτε*), nisi et hunc et ceteros discipulos a Satana

perturbatum iri significasset? Etenim illud non vereor ne quis obiiciat, ad ὑμᾶς appositionis loco ὡς τὰ σῖτα, nec singularem numerum, collocandum fuisse. Constat enim inter omnes, diversos in his numeros saepissime a Graecis componi. Vid. *Matthiae* §. 431.

v. 38. ἱκανόν ἐστι] *sufficit*, sc. εἶναι ὑμῖν μαχαίρας δύο, pluribus enim gladiis non opus est in periculis instantibus, quae nulla pugna removeri poterunt. Nam qui verbis ἱκανόν ἐστι discipulos reprehendi existimant, quasi Christus dixisset: *absurda sunt, quae profertis, desinite tales ineptias proferre*, hi videndum arbitror ne sententiam defendant persona Christi, si qua alia, indignissimam; quippe qui errantes discipulos in viam non solum non reduxerit, sed etiam graviter vituperaverit. Deinde nec hebraea dicendi formula רַב לָכֶם, nec graeca ἱκανούσθω ὑμῖν Deuteron. III, 26. I, 6. Ezech. XLV, 9. al. tam abrupte, nec adiecta accuratiore explicatione usquam dicitur. Ceterum praevidisse videtur Christus, fore ut alii discipuli relictis Hierosolymis moriturum se deserant (Matth. XXVI, 56. Marc. XIV, 50.), alii defendant (v. 36.). Et gladio quidem usus est Petrus v. 51. ceteri autem quorsum iter instituerint, disertis verbis non narratur.

v. 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ]. Supple παρένεγκε, quod omnium est simplicissimum, nec linguae legibus contrarium, vid. *Winer*. §. 38. 7. p. 137. Addend. p. 214. P. II. p. 186. n. 6. ol. *Matthiae* gr. §. 617. p. 1248. Sed haec tam trita sunt hodie, ut neminem amplius morentur; ma-

gis mirere de verbi παραφέρειν significatione altum VV. DD. silentium. Quaeritur enim, utrum calix dicatur παραφέρειν, an deus calicem παραφέρειν. Apprime huc faciunt *Buttmanni* verba Excurs. III. ad Demosth. Mid. §. 15. e. τὰς ὥρας παρενέγκατε τῆς θυσίας καὶ τῆς θεωρίας p. 127. „Verbum παρήνεγκατε erat cum *Spaldingus* vellet proponere mutandum in παρήκατε. Recte tamen maluit explicare vulgatam ex usu eiusdem verbi intransitivo qui est apud Thucyd. V, 20. 26. ubi ἡμέραι παρενεγκοῦσαι sunt *dies elapsi, praeterlapsi* (scrib. praeteriti, transacti). Nimirum, ut mea rem ratione exponam, ἡμέραι παρενεγκοῦσαι sunt αἵτινες παρήνεγκον ἑαυτάς: quare si eius rei causa in me fuerit, recte dicar et ego παρενεγκεῖν τὰς ἡμέρας. Quae ratio mihi quidem videtur egregie confirmari usu translato quem praebet Plutarchus in Arato c. 43. (p. 1047. e.) ubi legimus: τότε μὲν οὖν παρήνεγκε τὸ ῥηθέν: Coraisque si in eo loco huius nostri memor fuisset, certe eum usum non tribuisset hellenismo deflorescenti. Plane enim ut Athenienses hic *praeterire sinunt* tempus praestitutum, sic Aratus illuc *praeterire* se *sinit* verba haruspicis.“ Quam verbi potestatem quam *Schaeferus* quoque assensu suo Apparat. Demosth. III. p. 358. firmaverit, tametsi commode utrumque dici licet: et τὸ ποτήριον παραφέρει et ὁ θεός τὸ ποτήριον παραφέρει, tamen et Marci verba XIV, 36. παρένεγκε τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ τοῦτο et res ipsa postulant, ut παρενεγκεῖν reddamus: *praeterire sinere.* Quae subiiciuntur πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω, non modo in memoriam revocant Matth. XXVI, 39.

et Marc. l. l. πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ, verum etiam Sophocl. Electr. 330 sq. Herm. καίτοι τὸ μὲν δίκαιον, οὐχ ᾗ 'γὼ λέγω, ἀλλ' ᾗ σὺ κρίνεις.

v. 49. εἰ πατάξομεν] *num percutiamus?* Sic vulgo, quasi scriptum esset εἰ πατάξωμεν. Cf. *Wahl.* Comment. de particulae εἰ — usu et potestate p. 27. 32. Saltem nemo laudaverit, quod post *Wetstenium* ne unus quidem editorum praeter *Matthaeium* ex codd. GHE (Matth.) 71. 90. Evang. 6. 19. coniunctivum in lucem protraxit *).

v. 51. ἐᾶτε ἕως τούτου]. Coniecturae si his in libris datus locus esset, suspicarer Christum dixisse: ἔα τὸ οὖς τούτου, *missam fac huius aurem.* Certe accusativo addito Euripides scripsit Orest. 1021. τὰ δὲ παρόντ' ἔα κακά, Iphig. Taur. 896. ἔα τὰ μητρός. Sed augustior est sententia, quae continetur vulgata; *sinite*, missum facite *me usque ad id tempus* (*bis dahin*), quo vulnus illius hominis sanavero, aut brevius: *missum me facitote aliquamdiu*, ut ἕως τούτου idem significet, quod τέως. Iob. VII. 19. ἕως τίνος οὐκ ἐᾷς με; Quibus probatis non verbo sed re apostolorum quaestionem dominus respondet, tacite simul quod ira abreptus Petrus admiserat vituperans. Praeterea vero etiam dubii haeremus Christumne magis admiremur, ut qui inimicis velut dominus imperaverit, an adversariorum catervam illius iussis dicto audientem, quo tempore captivum abducturi erant. Sed ille non potuit non cavere, ne Petrum quoque in ius vocarent, hi inexspectata sanatione

*) *Scholzius* addidit Mss. 131. 225. 235. 346. 433. al.

pariter et doctoris nobilissimi reverentia perculsi manus a Petro reliquisque discipulis abstinuerunt.

v. 52. ξύλων]. Addunt libri aliquot ex locis parall. συλλαβεῖν με, quae iure Lucas praetermissa voluit, quippe non ignarus, ἐξέρχεσθαι ἐπί τινα per se denotare, *ad aliquem petendum, comprehendendum egredi.* Xenophon Cyrop. I, 6, 39. ἐπὶ μὲν τὰς ὄρνιθας — ἐπορεύου νυκτός. Anab. VI, 2, 2. λέγεται ὁ Ἡρακλῆς ἐπὶ τὸν Κέρβερον κύνα καταβῆναι. Aristoph. Ran. 111. ἦλθες ἐπὶ τὸν Κέρβερον. Sed exemplis pluribus quid opus est in re notissima? Vid. *Porsoni* Adnott. ad Anab. p. 590. ed. meae, not. ad Cyrop. I, 2, 6. 6, 12. *Matthiae* gr. §. 586. p. 1169. et *Winer*. gr. §. 45. p. 165. Idem valet de v. 53. ἐπ' ἐμέ. Ceterum in verbis ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξ. inesse dicendi quandam brevitatem pro ἐπ' ἐμὲ ὡς λῃστὴν ὄντα ἐξ., non est quod pluribus exponam.

v. 59. ἄλλος τις]. Simili ratione se invicem excipiunt οἱ μέν — οἱ δὲ — ἕτεροι δὲ — ἄλλοι δέ τινες apud Isocrat. περὶ ἀντιδοσ. p. 356. §. 45. Bekk. Xenoph. Cyrop. II, 3, 24. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ ὁ Κῦρος ἐκάλεσε ταύτην τὴν τάξιν, ὥςπερ ἔφη, καὶ τῇ ἄλλῃ *Heindorf.* τῇ ἄλλῃ interpretatur τῇ τρίτῃ, ut Anab. II, 1, 3. Neque tamen idcirco ἄλλος τις auctor sum ut explicetur *tertius aliquis.* Rectius enim Xenophontea significare dixeris: *sequente* die, qui sane tertius potest esse, sed etiam quartus, quintus etc. Vid. Anab. III, 4, 1. V, 9, 15. Hellen. I, 1, 13. 2, 1. Illud ἐπ' ἀληθείας idem sonat quod μετ' ἀληθείας, quocum ab scriptoribus ipsis passim permutari videas; qua de re docte disseruit *Fritzsch.*

Quaest. Lucian. p. 137 sqq. Frequentavit locutionem Lucas IV, 25. XX, 19. Act. IV, 27. X, 34.

v. 61. *τοῦ λόγου τοῦ κυρίου, ὡς εἶπεν αὐτῷ*]. Act. XI, 16. *ἐμνήσθην δὲ τοῦ ῥήματος τοῦ κυρίου, ὡς ἔλεγεν.* Quae eadem dicendi verbositas inter alia offenditur Xenoph. Cyrop. VIII, 2, 14. *καὶ λόγος δὲ αὐτοῦ ἀπομνημονεύεται, ὡς λέγοι,* Anab. I, 2, 5. *καὶ εὐχὴν δέ τινες αὐτοῦ ἐξέφερον, ὡς εὔχοιτο.* Plura dedi ad Cyrop. I, 2, 5. ex quibus apparebit, scripturam librorum quorundam *ὃς εἶπεν* vel *ὃν εἶπεν* nihili h. l. faciendam esse.

v. 65. *ἕτερα πολλά*] multa diversi generis convicia intellige. Quamquam comparantibus VIII, 3. *ἕτεραι πολλαί,* Act. XV, 35. *μετὰ καὶ ἑτέρων πολλῶν,* Matth. XV, 30. *ἑτέρους πολλούς,* Luc. III, 18. *πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα* (vid. *Wetsten.* ibi) ecquid intercedere discriminis videbitur inter illa et inter *ἄλλα πολλά* Marc. VII, 4. quae invertuntur Marc. XII, 5? In priorum verborum ordine ut sibi constant sacrorum librorum scriptores, ita in vocibus *ἄλλα πολλά* promiscue alternandis scriptoribus Atticis consentiunt. Vid. *Winer.* gr. II. p. 178.

v. 67. *εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός, εἰπὲ ἡμῖν*]. Tribus haec modis possunt accipi; aut enim significant: *num tu es Messias? dicas nobis,* aut *si tu Messias es, dic nobis;* aut denique *dicas nobis, an Messias sis.* Extremum hoc ceteris praestare puto, quia, si quis primum illud probaverit, verba *εἰπὲ ἡμῖν* tantum non supervacanea esse apparet, in altera ratione, ut largiar, non scribendum fuisse *ἐὰν σὺ ᾖς ὁ Χρ.*,

illud displicet, quod senatus sumit esse Iesum Messiam, quem tamen ob id ipsum, quod negavit esse, custodiae modo tradiderat. Restat igitur, ut amplectamur tertium, quocum quae respondit Christus optime conveniunt.

Cap. XXIII. v. 2. *κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι*]. Ne quis *μή* post impediendi verbum requirat, notandum est, *κωλύειν*, si discesseris ab Act. X, 47., ubi *τοῦ* interiectum est, solenniter in N. T. cum simplice infinitivo construi. Nec rara sunt apud Atticos eius generis exempla, qualia habes Xenoph. Anab. V, 8, 16. VII, 3, 3. 6, 13. Memor. II, 1, 16. Eurip. Androm. 44. *ἣν με κωλύσῃ θανεῖν*, nempe Thetis, quod ex anteced. supplendum esse mirum quod non perspexit editor novissimus. De his I. Cor. XV, 39. *καὶ τὸ λαλεῖν γλώσσης μὴ κωλύετε*, lege *Buttmann.* ad Soph. Philoct. v. 656. et *Matthiae* gr. §. 534. p. 1047. n. 3.

v. 5. *ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε*] *initio facto a Galilaea usque ad hanc urbem*, i. e. imprimis inde a Galilaea usque ad hanc urbem. Vid. XXIV, 27. Act. I, 22. VIII, 35. X, 37. *Stallbaum.* ad Platonis Gorg. c. 26. p. 103. *Buttmann.* gr. §. 150. p. 448. ed. 13. *Matthiae* §. 557. et *Winer.* gr. P. II. p. 187. qui pro Act. 17, 2. nescio quem locum alium laudare voluit.

v. 12. *προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτούς*]. Omitti potuit *ὄντες* eodem iure, quo Act. VIII, 9. scriptum est *προϋπῆρχον ἐν τῇ πόλει*, sed additi participii etiam in ceterorum scriptis Graecorum hic illic reperiuntur exempla. *Stephanus* Thesaur.

p. 2298. D. „Dicitur etiam, inquit, ὑπάρχω ὤν, ut τυγχάνω ὤν, sed longe rarius. Herod. ὑπῆρξε ἐόντα τάῦτα. Demosth. c. Mid. Οὐ γὰρ ἐχθρός γε ὑπῆρχεν ὤν." Non absimilis locus est Demosth. Coron. p. 305. v. 22. καὶ τὰ μὲν τῆς πόλεως οὕτως ὑπῆρχεν ἔχοντα, quo usus est *Matthiae* gr. §. 559. p. 1104. Nam, ut *Vigeri* verba laudem p. 308. quidquid hic de ὑπάρχω dictum est, de composito προϋπάρχω dictum puta. Ad ἑαυτούς quod attinet, si quis est qui nesciat, eius loco ἀλλήλους substitui potuisse, *Winceri* gr. §. 16. 7. p. 65. et *Matthiaei* gr. §. 489. III. p. 920 sq. evolvat.

v. 15. οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ]. Totidem paene verbis eandem sententiam expressit Xenophontius Socrates Apol. §. 25. θαυμαστὸν ἔμοιγε δοκεῖ εἶναι, ὅπου ποτὲ ἐφάνη ὑμῖν τοῦ θανάτου ἔργον ἄξιον ἐμοὶ εἰργασμένον, qui tamen ἔργον addidisse non videtur, si modo hanc vocem recte in suspicionem vocavi. Cf. Act. XXVII, 31. Praecedunt verba ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν in textis vulgatis; etenim codices HKLM aliique scriptum referunt ἀνέπεμψε (male *Scholz. Schulz.* et *Griesbach.* ἀνέπεμψεν) γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς: cuius lectionis *Kuinoelius* hanc causam posuit, parum illam probabilem, quod grammatici et librarii non reputassent, ἀναπέμπειν nihil h. l. significatione a simplice πέμπειν differre. Enimvero qui id ipsum verbum v. 7. sine offensione legerant, num credibile est eosdem ad ἀνέπεμψα ita offensos fuisse, ut et hoc et pronomina ὑμᾶς πρὸς αὐτόν immutanda putarent? Probabiliorem causam quare membranarum scripturam praeferret,

commentus erat *Beza*. „Illud, inquiens, complectitur ex quo intelligi possit ne Herodem quidem ullum in eo crimen comperisse. Nam, inquit, eum ad nos remisit: quod facturus alioquin non erat, si dignum esse comperisset in quem animadverteret.“ Sed eadem est vulgatae sententia, etsi paulo obscurius expressa: nam misi vos ad eum, eo nempe consilio, ut si quid dignum supplicio Christus commisisset, Herodes exquireret; *et ecce*, de Herodis sententia *nihil Christus admisit, quod poena dignum esset.* Pilatus autem non missurus erat, si de culpa eius ipse persuasum habuisset. Quae cum ita sint, apparet vulgatam ut difficiliorem retinendam, mutatamque ab iis esse, qui verba versus 11. (cl. 7.) hic quoque restituere voluissent. Nam ἀναπέμπειν de Herodis et Pilati palatiis dictum commode reddi potest: *sursum mittere*, ut apud Herodian. II, 12, 11. ἐπὶ δὲ τὸν Ἰουλιανὸν εἷς τῶν χιλιαρχούντων ἀναπέμπεται, ἀποκτεῖναι ἄνανδρον καὶ ἄθλιον πρεσβύτην. Xenoph. Cyrop. VII, 5, 34. Ὁ δὲ Κῦρος τὰς μὲν ἄκρας εὐθὺς παρελάμβανε, καὶ φρουράρχους τε καὶ φρουροὺς εἰς ταύτας ἀνέπεμπε. Vid. *Valckenar.* ad Eurip. Hippol. v. 1288. et *Fischer.* ad Welleri gr. Vol. III. P. II. p. 163 sq. qui quae p. 164 sq. de praepositione ἀνα in compositis omni vi destituta disseruit, multis modis corrigenda sunt.

v. 17. ἀνάγκην δὲ εἶχεν]. *Iam vero tenebatur* qui verterunt, immemores fuerunt δέ nusquam locorum *iam vero* designare. Imo hic quoque valet, quod de particula δέ pro γάρ adhibita *Hermann.* ad Viger. p. 845. n. 343. b. acute disputavit. „Saepis-

sime, inquit *Schaefer*. Demosth. Apparat. II. p. 128 sq. particula δέ simpliciter copulat enunciationes; quomodo intelligenda omnia illa loca, ubi δέ vulgo, sed perperam, dicitur fungi vice causalis γάρ." Vide etiam not. ad Xenoph. Memor. II, 1, 1. p. 79.

v. 19. ὅστις ἦν — φυλακήν] *qui propter seditionem quandam et caedem in urbe factam custodiae traditus fuerat.* Circumscriptum est enim plusquamperfectum ἐβέβλητο, nec cum ἦν copulabis verba ἐν τῇ πόλει, quae sedem legitimam hoc ordine habuissent: διὰ στάσιν τινὰ ἐν τῇ πόλει γενομένην καὶ διὰ φόνον γενόμενον. In duobus enim sententiae membris, participio praemisso, non opus est aliud participium, quod membra illa connectat, subiiciatur, vid. *Schaefer*. ad Porsoni Eurip. Hec. p. 58. ed. tert. Nota denique ὅστις aperte pro ὅς illatum, quem pronominis usum praeivit Homerus teste *Matthiaeo* gr. §. 483. p. 906., nisi forte licet ducibus *Hermanno* ad Sophoclis Oed. Reg. v. 688. Euripidis Ion. 1028. et *Matthiaeo* ad Eurip. Hippol. v. 900. explicare: *ut qui — traditus fuerat.* Nam coniunctivus *traditus fuisset*, nemo non perspicit, quam sit ab hoc loco alienus. Nostrates dixerint: *das war ein Mann, welcher* etc. haec ut parentheseos speciem prae se ferant, qua indicare Lucas voluerit, quo ex hominum genere Barabbas fuerit. Cf. IX, 30. XII, 1. Act. XVI, 12. 16 sqq. *Wahl.* Clav. II. p. 193. ed. sec.

v. 20. πάλιν οὖν]. Codices ADL 124. 157. cum translationibus nonnullis habent πάλιν δέ, quo nihil opus est. Nimirum quoniam Barabbam, non Christum, liberatum Iudaei voluerant, idcirco Pilatus

denuo exclamavit. Quodsi constaret δ' οὖν apud sacros scriptores in usu fuisse, concinnata utraque particula non dubitarem proponere, quod rerum nexui apprime accommodatum est: *so denn, so rief denn Pilatus nochmals.* Vid. a me notata in Addend. et Corrig. p. 291. ad Xenoph. Anabas. I, 2, 12. ubi similiter δέ exciderat, ad Cyrop. II, 2, 1. et *Reisig.* Enarrat. Soph. Oed. Col. p. CLXXV.

v. 22. τρίτον εἶπε] *tertio dixit.* Abest articulus etiam II. Cor. XII, 14. πρῶτον — δεύτερον — τρίτον I. Cor. XII, 28. δεύτερον Ioh. III. 4. πάλιν δεύτερον ibidem XXI, 16. δεύτερον Apocal. XIX, 3. Eurip. Phoeniss. 609. Porson. δεύτερον, frustraque Anab. I, 8, 16. fuit qui τὸ δεύτερον postularet, Dio Cass. LV, 2. p. 336. Sturz. δεύτερον, LVIII, 10. p. 596. ὡς δὲ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον γε ἐκεῖνος ἐμβοήσας, cl. LX, 25. initio. Usitatiora quae sunt τὸ τρίτον, τὸ δεύτερον etc., ex iis illud legitur Marc. XIV, 41. bis Ioh. XXI, 17. hoc II. Cor. XIII, 2. Ep. Iud. v. 5. apud Atticos alterum utrum in quavis pagina. Ad seqq. τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν observavit *Valckenarius:* „nihil aliud praestat γάρ, quam sermonis quendam ornatum, in quem Latini etiam suum *nam* posuerunt initio periodorum.“ At tirones hodie ex grammaticis discunt, quae doctissimi olim viri vix mente divinarunt, videlicet suppressam esse sententiam, cuius γάρ sive in interrogatione positum sive ea destitutum reddat rationem. Hoc loco supplebis: *nolo eum cruci affixum; quid enim mali perpetravit?* i. e. remota interrogatione: nam nihil mali perpetravit. Recte *Lutherus: was hat denn dieser Uebels*

gethan? *Fritzsch.* ad Matth. p. 807. praeterea vid. *Hermann.* ad Viger. p. 829. n. 300. *Buttmann.* gr. §. 149. p. 436. ed. 13. *Matthiae* §. 615. p. 1241 sq.

v. 26. *ἀπήγαγον αὐτόν*]. Plene scripturus erat *τὴν ἐπὶ θανάτῳ*, qua de formula dixerunt *Lobeck.* ad Phrynich. p. 475. et *Schaefer.* ad Lamb. Bos. Ellips. p. 500. Sic etiam *ἄγειν* dicitur Ioh. XIX, 17. infra v. 32. Vid. interpretes ad Anab. I, 6, 10. et Viger. p. 223.

v. 31. *τί γένηται;*] Coniunctivi rationem optime perspexit *Winerus* gr. P. II. p. 92. neque enim alia est, quam in Sophoclis Aiac. 398. Herm. *ποῖ τις οὖν φύγῃ;* Platonis Phileb. p. 15. (26 Stallb.) *πόθεν οὖν τις ταύτης ἄρξηται — τῆς μάχης;* de quibus verbis in Append. p. 6. ita disseruit *Stallbaum.*, ut alia simul exempla afferret. Maxim. Tyr. Dissert. X, 9. p. 184. Reisk. *τίς μοι γένηται τοιοῦτος μῦθος;* Homer. Od. *ε.* 299. *τί — γένηται;* In Xenoph. Memor. I, 2, 15. *πότερόν τις αὐτῷ φῇ* etsi futurum *φήσει* optimae notae codex obtulerat, vulgatam tamen comparandis similibus locis tueri ausus sum. Vide *Schaefer.* Mell. critt. p. 97 sq. Apparat. Demosth. III. p. 544.

v. 32. *ἤγοντο δὲ καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι*]. Bene post alios *Kuinoelius: ducebantur vero etiam alii duo, qui erant malefici*, i. e. praeterea duo malefici. Tali itidem modo accipienda sunt X, 1. *καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα*, Thucyd. IV, 67. *οἱ δὲ μετὰ τοῦ Δημοσθένους τοῦ ἑτέρου στρατηγοῦ Πλαταιῆς τε ψιλοὶ καὶ ἕτεροι περίπολοι ἐνήδρευσαν ἐς τὸν Ἐνυάλιον.* Aristoph. Avv. 1512. Diod. *εἰσὶν γὰρ ἕτεροι βάρβαροι*

θεοί τινες ἄνωθεν ὑμῶν; i. e. ἕτεροί τινες θεοί, οἵ εἰσι βάρβαροι. Ran. 515. κωρχηστρίδες ἕτεραι δύ' ἢ τρεῖς. De pare vocis ἄλλος usu in vulgus nota res est, quam tractavimus not. ad Anab. I, 5, 5. Cyrop. VIII, 4, 50. quibus accedat *Fritzsch.* Quaest. Lucian. p. 52 sqq.

v. 38. ἐπ' αὐτῷ]. Interpretantur *super eum*, sequuti haud dubie Matthaei verba dicentis ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ; subdubito tamen, an eam vim praepositionis non satis tuearis congestis in *Wahlii* Clav. I. p. 582. Quare malim vertas: *in eum*, ad eum illudendum, vid. *Matthiae* §. 586. δ. p. 1168. Ioh. VIII, 7. Quodsi quis comparato loco Ioh. XII, 16. ταῦτα ἦν ἐπ' αὐτῷ γεγραμμένα explicuerit *de eo*, *in Bezug auf ihn*, videndum puto, ne si h. l. abesset illud additamentum, nemo facile desideraturus fuisset.

v. 40. οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεόν, ὅτι — εἶ] *ne Deum quidem vereris*, uti nec vereris vel veritus es homines? Plerique tamen interpretes, in iisque *Grotius*, cum pronomine iuncta negatione reddunt: *ne tu quidem Deum vereris?* nedum Iudaei, quos non mirum est tam impie Christo insultare. Per linguae leges utraque ratio habet, quo se tueatur, siquidem vera sunt, quae de traiecta negatione οὐδέ ad Memor. IV, 2, 23. notavimus, sed posteriorem tamen explicationem orationis series commendat, quae cum maxime in eo versatur, ut quomodo primum populus civitatisque primores, deinde milites omnesque adstantes Christum illuserint enarret. Difficultatem praeterea facit coniunctio ὅτι, quam in ὅτι

correctam malis: *quo tempore eadem*, qua Iesus, *poena teneris*, sed illius coniunctionis in scriptura sacra vis et usus tam late patet, nec raro tam impeditus est, ut singulari commentatione egeat. Quis, ut uno exemplo defungar, XVI, 3. non praetulerit scripturam τί ποιήσω, ὅτε ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται etc.? Nihilo tamen secius nec haec nec malefici illius verba corrupta esse arbitror, quorum tandem sententia huc redit: *ne te quidem vereri deum, eo magis miror, quod pari es in supplicio.*

v. 41. ἡμεῖς μὲν δικαίως] sc. ἐσμὲν ἐν τῷ κρίματι. Germani non minore brevitate dixerint *und wir leider mit Recht.* Quibus πάσχομεν supplere placuit, hi vereor ne praeter necessitatem novum ellipsios genus effinxerint.

v. 42. ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου]. *Marklandus* ad Lysiae Orat. T. I. p. 572. Reisk. „Ἤλθομεν vero est *rediimus*, ut Luc. XXIII, 42. ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σοῦ, *quando redieris in regno tuo*, id est, quando redieris *Rex*, regia potestate praeditus; neque hoc solum, sed et *tuo* regno, emphatice, tibi proprio; quod ideo alibi vocatur ἐν τῇ δόξᾳ αὐτοῦ, *in maiestate sua.* Mentem Lucae non bene exprimit Vulgata; *cum veneris in regnum tuum.* Longe aliud dicit Evangelista.“ Cum *Marklando* facit etiam *Kuinoelius*, nec sane potest ambigi, quin redeundi notio verbis ἔρχεσθαι, ἥκειν et cognatis comprehendatur, vid. *Heindorf.* ad Platonis Protag. §. 4. p. 462. Minus autem illud perspicio, qui factum sit, ut de futuro Christi reditu in terram, de quo ne apostoli quidem quovis tempore

recte statuerant, latro ille fieret certior, aut cur, dum homo ille de regno Christi in terris condendo loquebatur, dominus coelestem ei felicitatem addiceret. Imo quum Iudaeos constet aliam sedem piis animis, aliam impiis post mortem attribuisse (vid. *Kuinoel.* ad v. 43.), quum Christus ipse Ioh. XVIII, 36. coram Pilato disertis verbis dixerit ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, quae non improbabile est latronem si non praesentem certe in custodia aut in via ultima audivisse, quum adeo omnibus spectantibus cruci inscriptum esset: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, non video quid obstet, quo minus homo iste Iesum roget, ut sui ne obliviscatur, si venerit in regnum illud perpetuo duraturum. Certe ad praepositionem ἐν quod attinet, cum verbis motum in locum significantibus copulata quomodo accipi debeat, satis docuisse mihi videor in Addend. et Corrig. p. 237. Cf. *Winer.* gr. §. 44. p. 159. *Matthiae* §. 577. p. 1141 sq. *Valckenar.* Schol. ad Luc. XI, 7. Ad argumentum Orat. contra Androt. εἰςιέναι ἐν τῷ δήμῳ p. 591. v. 16. *Schaeferus* observavit haec: „i. q. εἰς τὸν δῆμον. Recurrit p. 592. 5. Est labentis Graecitatis. Melius mox v. 18. 21. 22. Quod eadem constructio passim legitur apud scriptores, quos constat puriorem hellenismum sectatos esse, vide ne librariis imputandum sit. Velut Dionys. Hal. T. I. p. 185. R. videtur scripsisse ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν. Conf. T. III. p. 1359.“ Xenophon. Ephes. p. 48. v. 5. similiter scripsit ἐλθὼν ἐν τῷ ἀγρῷ probantibus *Hemsterhusio* et *Abresehio* p. 205. Locell. Quibus si quis omnibus nondum acquieverit, adeat qui hac de re exposue-

runt viros doctos in *Stephani* Thesaur. p. 3725. A. B. excitatos.

v. 43. παραδείσῳ]. Armenicae, non Persicae originis, quae communis est hominum doctorum opinio, hoc nomen esse ostendit *Schroeder*. Praefat. Thesaur. ling. Armen. p. 36. Vid. *Rosenmueller*. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* I. p. 173. et a me not. ad Cyrop. VIII, 1, 38.

v. 46. παραθήσομαι]. Non diffiteor defendi posse futurum ita collocatum, ut latino coniunctivo praesentis respondeat, „more Graecis proprio (*Hermanni* verba sunt), quo id, quod in consilio alicuius positum est, ut rem vere futuram narrant," verum librorum manu exaratorum ABCKMPQ. 33. 42 etc. et patrum eccles. παρατίθεμαι suppeditantium tanta est vel copia vel auctoritas, ut vulgatam quovis pignore praestiterim ex Ps. XXX, 5. *Bos*. (corrige *Kuinoel*.) temere huc translatam esse, quo scilicet ne latum quidem unguem a Davidis verbis Christus recederet. Quod alibi legitur παρατίθημι, et ipsum cum praesente magis quam cum futuro coit.

v. 47. ὁ ἑκατόνταρχος] ὁ ἑκατοντάρχης codd. B. 1. 131. Neutra forma ab Lucae oratione abhorret, sed illam habes Act. XXVII, 6. 11. 43. XXI, 32. XXII, 25. ἑκατοντάρχων XXIII, 17. 23. cl. Matth. XXVII, 54. Contra πατριάρχης est Hebr. VII, 4. πατριάρχαι Act. VII, 9. πατριάρχας 8. πολιτάρχας Act. XVII, 6. 8. Forma in ἀρχος etsi antiquior est altera teste *Schaefero* Apparat. Demosth. Vol. I. p. 349 sq. Vol. II. p. 151. tamen etiam eius termi-

nationis, quae serioris aetatis esse dicitur, apud veteres non rara sunt vestigia, qualia ipse composui ad Xenoph. Conviv. p. 47. Cyrop. II, 1, 23. In Memor. III, 4, 1. nollem operae ταξιαρχῶν in textis reliquissent. His ditari poterunt *Wineri* copiae gr. §. 6. p. 31 sq.

v. 51. αὐτῶν] sc. τῶν βουλευτῶν, quod in praegressis τῇ βουλῇ continetur. Minus recte *Winer.* gr. Addend. p. 208.

v. 51. ὃς καὶ προςεδέχετο καὶ αὐτὸς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ]. *Weiskio* in libro de Pleonasm. p. 186. obsequutus reddideris: *qui adeo expectabat et ipse* (cum aliis s. sicut alii) *regnum Messianum*, insolenti sane repetitione copulae, cuius simile exemplum nec mihi occurrere memini, nec ad vulgatam tuendam commemoravit *Dorvillius* ad Charit. p. 543. Lips. Plerumque enim καὶ — καὶ in uno eodemque membro iterata, ut supra II, 27. 28. VI, 4. et Ioh. V, 27., quum aut significent *et* — *etiam*, aut ei generi adnumeranda sint, quod ad Memorab. II, 6, 25. et Apol. §. 13. attigi, fortasse non inepte quis coniiceret, relativum pronomen ὅς ad vinciendam orationem a librariis vel correctoribus intersertum, aut eius loco ὤν quondam lectum fuisse. Quae res quomodocunque se habuit, illud extra dubitationem positum est, nec contemnendae auctoritatis esse codices, qui prius καὶ ignorent, nec in eum sensum verba posse accipi, quem inde *Kuinoelius* elicuerit: *qui per Christum regnum Messianum institutum iri expectaverat.* Huic enim interpretationi non solum infinitivi vel participii ad τὴν βασιλείαν appo-

nendi defectus obstat, verum etiam imperfecti ratio, quae non patitur de spe cogitare, quae nescio quo tempore Iosephum fefellerit. Quae *Weiskio* prae ceteris placuerunt, verbis cap. X, 39. ἣ καὶ παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ ἤκουε confirmari video, modo ne καί ad ἤκουε retuleris, quod cum participio παρακαθίσασα copulabis in tempus finitum resolvendo ἣ καὶ παρεκάθισε παρὰ τ. π. τοῦ Ἰησοῦ καὶ ἤκουσε. Mulierum enim erat, rebus domesticis operam dare; Maria autem quum ad Christi doctrinas animum advertisset, traditur adeo ad magistri pedes adsedisse eiusque praecepta audivisse.

Cap. XXIV. v. 2. Εὗρον δὲ τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον]. Chaereas in Charit. Aphrodis. III, 3, 2. p. 62. Lips. ad Callirrhoës sepulcrum quum accessisset, εὗρε τοὺς λίθους κεκινημένους, καὶ φανερὰν τὴν εἴςοδον. Omnino hic Charitonis locus tam multa habet iis, quae Lucas scripsit, haud absimilia, ut *Dorvillius* p. 356. non iniuria suspicatus sit, in scriptis Apostolicis Charitonem non fuisse hospitem.

v. 4. ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις]. BD Syr. Pers. Ar. etc. ἐν ἐσθῆτι ἀστραπτούσῃ, „bene, inquit *Schulz*. nam ubivis Sing. habet Lc. Cf. Act. I, 10. all.“ At in Act. similiter in codd. variatur, nec ἔσθησις praeter hunc locum in N. T. usquam legitur. Poeticum esse putant Grammatici, ut Schol. ad Soph. Electr. 262. ἐσθήματα καὶ ἐσθήσεις ἐν πεζῷ ἄχρηστα, ἐσθὴς δὲ ἐν χρήσει. Sed vid. interpretes ad Thom. Mag. p. 370. nec vulgatam non confirmat *Zonaras* Lex. p. 879. Tittm. Ἐσθήσεσιν, ἱματίοις, ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις. Ceterum singularis numerus

in ἐσθῆτι ἀστρ. eo minorem habet offensionem, quod ἐσθής vestimentum, *Kleidung*, significare constat, atque librarii quam libenter istiusmodi singularem cum plurali commutaverint, ostendit v. 10. τὸ πρόσωπον in τὰ πρόσωπα conversum *).

v. 10. ἦν δὲ ἡ Μαγδ. — αἱ ἔλεγον]. Praeeuntibus nonnullis codicibus *Paulus* et ἦν δέ delevit et αἱ ante ἔλεγον, non satis perpendens, ut opinor, hac recepta scriptura nihil plane verbis ἔλεγον πρὸς τοὺς ἀποστόλους ταῦτα opus fuisse, cum v. 9. mulieres dicantur haec omnia apostolis enarrasse. Imo fallor aut postquam articulus ἡ vel perversa interpunctionis ratio verba ἦν δὲ absorpserat, fieri non potuit, quin αἱ librarii omitterent. Mihi certe genuina videtur ea lectio, quam cancello supra inclusam vides, ut cuius interpretandae causa vulgatum ἦσαν superscriptum fuerit. Ad Eurip. Ion. 1161. ἐνῆν δ' ὑφαντὰ γράμμασιν τοιαίδ' ὑφαί annotavit *Hermannus*: „Ἐνῆν qua conditione pro ἐνῆσαν dici potuerit, dictum ad Soph. Trach. 517. Grammatici formam hanc pluralis esse et tertiae et vero etiam primae personae voluerunt: v. *Bekkeri* Anecd. p. 1293 etc." Platon. Rep. lib. V. p. 462. E. ἔστι μέν που καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἄρχοντές τε καὶ δῆμος, ἔστι δὲ καὶ ἐν αὐτῇ; Sed vid. not. ad Anab. I, 5, 7. VII, 4, 18. p. 510. *Heindorf.* ad Platonis Euthyd. §. 72. p. 403. *Stallbaum.* ad eiusdem Rep. lib. II. p. 363. A. *Iacobs* ad Achill. Tat. p. 650. *Matthiae* gr.

---

*) In Pauli Commentar. Vol. III. p. 893. operarum, ut videtur, incuria voc. τὸ πρόσωπον excidit.

gr. §. 216. 4. §. 303. §. 304. *Buttmann.* gr. §. 129. 2. *Winer.* gr. §. 40. 4. p. 145. Vol. II. p. 126 sq. — Ibidem in ABDKS 1. 10. 33 etc. interposito articulo scriptum est *Μαρία ἡ Ἰακώβου* sc. mater, sine dubio rectius. Quod ut iudicium ne improbes, inspexisse iuvabit *Winer.* §. 12. p. 49. p. 53. 5. Matth. XXVII, 56. Marc. XV, 40. XVI, 1.

v. 11. *ὡςεὶ λῆρος*]. Nolo repetere, quae apte explicatores ad haec illustranda contulerunt, sed impetrare a me nequeo, quin eandem vocem Xenophonti reddam in loco multis modis vexato Hellen. IV, 8, 15. *Τῷ μὲν δὴ Τιριβάζῳ ἀκούοντι ἰσχυρῶς ἤρεσκον οἱ τοῦ Ἀνταλκίδου λόγοι, τοῖς δ' ἐναντίοις λῆρος ταῦτ' ἦν*, quibus verbis ad amussim congruunt Anab. VII, 7, 41. *καίτοι γε Ἡρακλείδῃ λῆρος πάντα ἐδόκει εἶναι*, Lucian. Prometh. §. 6. p. 128. Lehm. *λῆρος γὰρ ἄλλως τὸ τοιοῦτον*, Aristoph. Lysistr. 860. *ὅτι λῆρός ἐστι τἄλλα.* Vid. *Wyttenbach.* ad Platon. Phaedon. p. 179 sq. et *Valckenar.* ad h. l. quae notavit. Pluralis *ἐφάνησαν* cum neutro *τὰ ῥήματα* iunctus non praeteriit *Winerum* gr. P. II. p. 127. 3., qui velim illud addiderit, facillime hoc quidem loco pro *τὰ ῥήματα* cogitatione substitui posse *οἱ λόγοι.* Sed huic ille regulae non videtur plus tribuisse momenti, quam ego ad Memor. II, 4, 7.

v. 12. *ὁ δὲ Πέτρος — τὸ γεγονός*]. Non cohaerere haec cum antegressis, frustra sunt, qui dictitent: Mulieribus fidem non habebant neque ceteri apostoli, neque Petrus, sed Petrus tamen dubitare coepit, an vera mulierculae narraverint; qua de re ut sibi persuaderet, ipse sepulcrum adiit. Quodsi

mulieribus prior ad tumulum accessisset, et aut confirmare, quae illae narraverant, aut ante, quam hae narrassent, Christi corpus evanuisse, communicare cum apostolis potuisset, quid quaeso in causa fuisset, quare apostoli meras esse nugas dicerent, quae ab mulieribus accepissent? Praeterea cum plusquamperfecti notione neutiquam praesens tempus βλέπει convenit, atque pro ὁ δὲ Πέτρος vide, ne ὁμοίως δὲ καί vel καὶ ὁ Πέτρος δέ aliaeve particulae ponendae fuissent. At dicet fortasse aliquis: „cum h. l. unus Petrus ad tumulum accessisse dicatur, versu autem 24. plures apostoli, cumque Iohannes XX, 2 sqq. expressis verbis tradiderit, Petro comitem fuisse alium discipulum, manifestum est nec sibi constitisse Lucam, et aperte Iohannis loco repugnare.“ Enimvero haec ipsa repugnantia, si qua est, impellere nonnullos lectores potuit, ut silentio totum locum praetermitterent: id quod auctoribus codicum D. Syr. hier., cuius extat in margine, Cant. Ver. Verc. Rd. usu venit. Sed Lucas tantum abest ut sibi ipse repugnet, ut quid obstet, quo minus de Petro singulatim, de aliis vero quibusdam apostolis, qui sepulcrum frequentaverint, v. 24. nonnisi in transcursu memoraverit, nemo facile dicat. Ita fit, ut ne ab Iohannis quidem testimonio Lucas dissentiat, ceteroquin hac ipsa in re, quam ab una Maria Magdalena conspectam ait Ioh. XX, 1. 11., amplius tres testatus mulieres. Quae si vere disputata sunt, non erit opinor quod quis neget, locum quem tractamus a Lucae manu proficisci potuisse, sed quoniam inter Lucae et Iohannis verba insolitam si-

militudinem intercedere fatentur interpretes, nec iniuria omnes mirantur, quid sit, quod v. 34. Christus perhibeatur ὀφθῆναι Σίμωνι, haud satis scio, an solos accusativos τὰ ὀθόνια κείμενα μόνα in suspicionem vocandos esse censeam, tanquam ex Ioh. XX, 5. 6. temere huc translatos. Quae certe opinio mirum quantum eo augetur, quod nec κείμενα in Vat. cod. B. Ev. 44. Mt. B semel m. Sahid. Copt. Theophyl. in comm. comparet, nec μόνα in AK. 47. 69. Mt. c. semel, 19 semel, Mart. Harl. Noluit enim Lucas suppleri τὰ ὀθόνια, sed nisi Christum ipsum, vel duos illos viros, quos mulieres se conspexisse testatae erant, at certe ex v. 6. verba οὐκ εἶναι ὧδε (ἐν τῷ μνημείῳ) τὸν Ἰησοῦν, ἀλλ' ἐγερθῆναι.

v. 13. δύο ἐξ αὐτῶν] sc. τῶν ἀποστόλων, qui proxime commemorati sunt v. 10. Cur enim malumus ignotissimos quosque homines intelligere, quam apostolos, quorum oculi solorum v. 16. recte dici potuerunt κρατούμενοι τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν, v. 17. σκυθρωποί, et v. 31. διανοιχθῆναι, qui prae ceteris v. 21. sperabant fore, ut Messias Israelitas liberaret, non ignorantes iidem, quae mulieribus, quae aliis apostolis 22. 24. accidissent, quemque morem dominus in frangendo pane sequi soleret v. 30. Hinc porro illa v. 32. Οὐχὶ ἡ καρδία etc., hinc non remanserunt Emmaunte, sed extemplo in urbem reversi laetitiae suae participes fecerunt apostolos, quos non probabile est ab ignotis hominibus noctu vel inventos, vel de apparitione Iesu certiores factos fuisse. Qui per complures dies tam multos perpessus erat cruciatus, Christum corporis habitu vultuque ali-

quantum immutate apparuisse (ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ) discipulis, eccui unquam incredibile videbitur? Fuerunt igitur duo illi, quibus occurrebat Christus, sine dubio de numero septuaginta discipulorum, atque Clopas Ioh. XIX, 25. idem, qui Cleopas h. l. audit. Nam si alterius nomen, ut hominis minus noti, scriptor reticuit, cur nominatim Cleopam attulerit, nihilo illum notiorem, quam fuit is, cuius nomen memoriae non tradidit? Quidni suspicari liceat, alterius illius nomen Lucae notius fuisse Cleopae nomine, eaque ipsa de causa omissum? Bartholomaeus an Lucas ipse, ut quidam ex veteribus tradiderunt, alter ille fuerit, non diiudicem, modo ne quis putet I, 2. Lucam ab oculatis testibus ita se disparare, ut nihil plane eorum, quae enarravit, vel vidisse se vel audivisse fateatur. Immo ibi quod addidit ἀπ' ἀρχῆς, non alia de causa fecisse putandus est, quam quo rerum a se narrandarum parti, praesertim extremae, ipsum se interfuisse, cetera autem, imprimis inde a Christi pueritia, munerisque principio luculentioribus debere testibus significaret.

v. 15. καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς] ὁ abest codd. ABL aliisque, quos nondum accurate satis excussos esse arbitror. Potest omitti eodem iure, quo supra scriptum est XX, 42. καὶ αὐτὸς Δαυὶδ, Platon. Phaedon. p. 73. E. αὐτοῦ Σιμμίου, ubi vid. *Heindorf.* Xenoph. Apol. §. 11. αὐτὸς Μέλητος. Cf. *Gersdorf. Beiträge* p. 430 sq.

v. 17. καὶ ἐστε σκυθρωποί] *nam tristes estis Paulus*, sed rectius *Kuinoel. et quare tanta*

tristitia affecti estis? Supplendum est enim ex antecedd. *τί, καὶ τί ἐστε σκυθρωποί;*

v. 19. *δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ*]. Simplicem dativum ad *δυνατός* adiicere solent Attici, ut Xenoph. Memor. II, 1, 19. *δυνατοὶ γενόμενοι καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς ψυχαῖς*, Thucyd. I, 13. *χρήμασι δυνατοὶ ἦσαν*, sed Lucas etiam in Act. VII, 22. de Mose scripsit: *ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις αὐτοῦ*, quem ordinem verborum sequitur Paulus Rom. XV, 18. *λόγῳ καὶ ἔργῳ*, Col. III, 17. *ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ*. At nulli offensioni ille est, cui nostro loco Lucas adhaesit, primaria voce secundariae praeposita. Vid. quae ad Mem. II, 3, 6. dicta sunt.

v. 20. *ὅπως τε παρέδωκαν*] *et quomodo tradiderint.* Respicit *ὅπως* ad v. 18. *οὐκ ἔγνως*, egregie familiaris colloquii rationem repraesentans, qua, quae universe antea diximus, mutata paulum structura accuratius explicatum imus. Alibi in talibus Lucas aliique *ὡς* usurparunt et *καὶ ὡς*, v. c. VI, 4. VIII, 47. XXIV, 35. XXIII, 55. Act. XI, 16. XX, 20. *Wyttenbach.* ad Sel. Hist. p. 358. *Goeller.* ad Thucyd. I, 1. p. 47. Sed vulgata non acquiescens *Schulzius* „Coniecerim, inquit, *Ὅμως*, nec nisi commate posito a vs. 19. separaverim.“ Ferendum *ὅμως* esse facilius crederem, si in verbis *ἐσταύρωσαν αὐτόν* loqui ambo desinerent; nunc vero quum mirari pergant non tam Iudaeorum crudelitatem, qua insontem supplicio affecerint, quam quomodo Christi corpus omnium oculis subductum fuerit, dubitandum arbitror, an non casu factum sit, ut Graeci, quod sciam, *ὅμως τε* nunquam coniunxerint. Qui ab *ὅμως*

simplice, ὅμως δέ, καὶ ὅμως nulla abstinuerunt pagina, iidem ὅμως τε ut languidius non minus videntur evitasse, quam Latini *tamenque*.

v. 21. ἀλλά γε]. „Quae particulae apud prosae scriptores non aliter, nisi interposito aliquo verbo, usurpatae reperiuntur, nec aliud significantes quam *at certe*, *at saltem*.“ *Heindorf.* ad Platonis Phaedon. p. 133. „Persaepe haec enclitica (γέ) sequitur post ἀλλά, sed ita ut aliquid interseratur: id quod aliter esse nequit, quandoquidem vis eius non refertur ad ἀλλά.“ *Schaeferus* ad Demosth. Apparat. T. II. p. 385. Quam *Stallbaum.* ad Platonis Remp. p. 331. B. codicum de vulgata scriptura ἀλλά γε ἓν ἀνθ' ἑνὸς οὐκ ἐλάχιστον ἔγωγε θείην ἄν miratur consensionem, hanc non vanam esse auctor est in editione Teubneriana *Schneiderus*, cuius ad sententiam haud leve pondus inde accessit, quod quae iunctarum particularum exempla his in scriptis leguntur, librorum ope manu exaratorum corrigi nequeunt. Unde evincitur, aut ex communi vita a sacris scriptoribus hunc vocularum complexum adscitum fuisse, aut quae serioris aetatis scriptores tanquam usu receptum frequentaverint, Atticos nonnisi raro usurpasse. Utcunque se res habuit, illud non incertum est, ἀλλά γε h. l. reddenda esse: *at nimirum*, vel *at sane*, *aber leider*, *aber freilich*. Vid. mea ad Xenoph. Memor. I, 2, 12. II, 7, 9. et *Hermann.* ad Eurip. Ion. 1345. Praefat. p. XX.

Ibid. τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον]. Ad Lamb. Bos. Ellips. p. 543. *Schaef.* subaudiri iubent ὁ χρόνος, fuerunt etiam qui coelum et terram: quod

ante pedes est, mirum vidisse neminem. Enimvero ex antecedentibus si repetieris ὁ Ἰσραήλ, tam plana erunt omnia, nihil ut opus sit de verbi ἄγειν vi passiva somniare. Habebimus potius tritissimum verbi usum, qui inter alia obtinet II. Maccab. II, 16. καλῶς οὖν ποιήσετε ἄγοντες τὰς ἡμέρας, cl. X, 8. Xenoph. Hellen. I, 4, 12. Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις. Illa τρίτην ἡμέραν praedicato adhaerent, cum ταύτην dictum sit pro ταύτην τὴν ἡμέραν, haud secus atque Memorab. IV, 6, 15. νομίζων ταύτην ἀσφάλειαν εἶναι λόγου. Verte: *is dies, quem Israel hodie celebrat, tertius est, ex quo haec facta sunt.* Achilles Tat. VII. p. 162. v. 11. edit. *Iacobs.* Ὁ γὰρ Σωσθένης οὗτος, ὃν αἰτοῦσι παρ' ἐμοῦ, τρίτην ταύτην ἡμέραν γέγονεν ἀφανής. Plura olim dederat *Wetstenius* ad h. l.

v. 23. καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι, οἳ λέγουσιν] *se adeo angelorum apparitionem vidisse, qui dixissent.* Notandus indicativus λέγουσιν, ubi optativum expectaveris, sed „saepe, inquit *Hermannus* ad Viger. p. 905., quae ex aliena cogitatione dicuntur, quoniam a Graecis ut praesentia narrari solent, indicativum habent.“ Addatur idem p. 901.

v. 26. καὶ εἰςελθεῖν]. „Vulgata legit καὶ οὕτω εἰςελθεῖν, *et ita introire.*“ *Bexa.* Atticum scriptorem si manibus tenerem, suspicarer rescribendum esse κἆτα εἰςελθεῖν, ut quod vulgata expresserit. Nunc satius erit orationem sic expleri: καὶ ταῦτα παθόντα εἰςελθεῖν, vid. Act. XIV, 22. nisi fortasse malis intelligere: *ac nonne eum oportuit relicta vita terrena petere coelestem maiestatem?* Sed vid. v. 46. IX, 22. XVII, 25. Act. XVII, 3.

v. 28. προςεποιεῖτο ποῤῥωτέρω πορεύεσθαι]. Vulgo accipiunt: *simulabat se ulterius profecturum*, quasi πορεύεσθαι Evangelista dedisset. Possis aliquanto rectius: *simulabat ulterius sibi proficiscendum esse*, non veritus, ne infinitivus δεῖν male absit. Etenim de *Hermanni* sententia ad Viger. p. 745. n. 158. in προςποιεῖσθαι similibusque verbis inest iam voluntatis et praecepti significatio. Qua de re qui exemplis comparatis scripserunt, multos attuli testes ad Xenoph. Conviv. IV, 42. p. 138 sq. a *Winero* repetitos gr. P. II. p. 111., et ad Memor. I, 5, 5. II, 2, 1. quibus accedat *Schaefer*. Demosth. Apparat. Vol. I. p. 782. Vol. II. p. 648. Pro ποῤῥωτέρω AB exhibent ποῤῥώτερον, formam criticis minime negligendam, vid. *Buttmann*. gr. max. II. p. 270 sq. et *H. Stephani* Thesaur. gr. ling. p. 7976. D.

v. 32. ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν] „Aristoph. Lysistr. 9.

Ἀλλ' ὦ Κυλονίκη, κάομαι τὴν καρδίαν,
Καὶ πόλλ' ὑπὲρ ἡμῶν τῶν γυναικῶν ἄχθομαι.

Quo doctiss. *Iac. Elsnerus* illustrat illud in Lucae Evang. XXIV, 32. — est tamen aliquantum diversi sensus etc.“ *Dorvill.* ad Charit. p. 468. Lips. Cf. *Dawes*. Miscell. crit. p. 171 sqq. ed. Kidd. Eurip. Electr. 399. Scidl. νῦν, ἢ πάροιθεν, μᾶλλον, Ἠλέκτρα, χαρᾷ θερμαινόμεσθα καρδίαν. Aeschylus Agam. 464. φλογὸς παραγγέλμασιν νέοις κεκρωθέντα καρδίαν, quos locos scito industriae deberi et *Musgravii* ad Sophoclis Aiac. v. 473. p. 553. *Erfurdt*. mai. et *Blomfieldii* ad Aeschyli Choëphor. v. 991.

v. 35. *καὶ αὐτοί*] *ipsi quoque, auch sie*, ut ad eos respiciatur, qui Christum dicebant in vitam rediisse.

v. 39. *ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε*] *Winerus* gr. p. 130. „Ioh. VII, 52. *ἐρεύνησον καὶ ἴδε willst du es untersuchen, so wirst du sehen. Dies ist Hebraismus* (*Gesen. Lehrgeb. S.* 776. *vergl. indess im Latein. das bekannte* divide et impera).“ p. 215. „*Für diesen Gebrauch eines doppelten Imperat. sind mir keine Parallelen aus griech. Schriftstellern bekannt.*“ Qui quae tum illis locis tum P. II. p. 105. 106. vel comparavit, vel disputavit, in memoriam revocant formulae oratoribus atticis usitatissimae: *λαβὲ τὰς ἄλλας καὶ ἀναγίγνωσκε* Demosth. p. 839. v. 5. *λαβὲ ἑτέραν καὶ ἀνάγνωθι* v. 9., *λαβὲ δ' αὐτὴν τὴν πρόκλησιν καὶ ἀνάγνωθι; σκοπεῖτε — καὶ λογίσασθε* p. 483. v. 17. ubi simillimi coloris alia quaedam collegit *Schaeferus*, Eurip. Phoeniss. 1275. *στεῖχ', ἐρήτυσον*, Aeschyl. Suppl. 418. *φρόντισον καὶ γενοῦ εὐσεβής — γνῶθι δ' ὕβριν ἀνέρων καὶ φύλαξαι κότον.* Ac vide mihi haec Charitonis VIII, 3. p. 177. Lips. *ἀνίστασο δὲ, φιλτάτη, καὶ ἄπιθι χαίρουσα· ἀπόλαβε καὶ σὺ τὸν ἄνδρα τὸν σεαυτῆς — ἀνίστασο καὶ σὺ — καὶ βάδιζε* (cf. Act. VIII, 26.) — *καὶ μέμνησθε Καλιῤῥόης*, Achill. Tat. VI, 11. p. 141 sq. *Iacobi*: *Τί κλαίεις; ἀνάστηθι καὶ θύε* (imo *θῦε*) *ἐπὶ τοῖς εὐτυχήμασιν Ἀφροδίτῃ· μνημόνευε δὲ κἀμοῦ* ibique editorem, Epictet. Dissert. III, 26, 22. p. 523. *Schweigh. Μετάβηθι, δὸς πλευρόν· κεφαλὴν αὐτοῦ λαβέ, παράθες τὸν ὦμον — Ἆρον τὰς τραπέζας, σπόγγισον*, quaeque eiusdemmodi eodem in capite leguntur, Epictet. Ma-

nual. c. 29. §. 5. ἴδε σεαυτοῦ τοὺς βραχίονας, — τὴν ὀσφῦν κατάμαθε. Max. Tyr. Diss. XVII, 11. ἀπόδοσον καὶ ἄφελε. Terent. Adelph. IV, 5, 70. *abi domum ac deos comprecare.* Andr. II, 1, 13. *abi prae et aperi.* Haec cum aliis innumeris sunt legitima omnia, horumque ad exemplum explicanda, quae in s. s. eiusdem generis leguntur.

v. 47. καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν — ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ]. Bene *Kuinoel.* ex superiore ἔδει suppleri ad κηρυχθῆναι iussit δεῖ; imperfectum enim semper dicitur de re facta, nunquam de re facienda, quam sensus hic efflagitat. Vid. not. ad Act. XXIV, 19. Quo nomine Graeci quam diversa ex finitimis tempora legentibus supplenda relinquant, ad Apol. §. 26. exemplis aliquot demonstrasse mihi videor. Maierem molestiam creasse interpretibus illud ἀρξάμενον, ostendit *Markland.* ad Lys. Orat. ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφ. χρημάτων observatio p. 653. Reisk. non sine codicum assensione reponendum coniicientis ἀρξαμένων ἀπὸ Ἱερουσαλήμ, „non ἀρξάμενον, quod nullam habet constructionem: ἀρξαμένων, absolute, scil. τῶν κηρύκων, quae vox includitur in praecedenti κηρυχθῆναι, prout fieri solet: *postquam inceperint* praedicatores *ab Hierusalem.*“ Sed ἀρξάμενον iure tuitus est *Winer.* gr. §. 52. p. 195. cuius explicationi non habeo quod addam, nisi quod Herodotei loci III, 91. non prorsus eandem rationem esse *Schweighaeuserus* notavit, quae sit participiorum δέον, ἐξόν, παρόν, ἐνδεχόμενον. Quod ut verum sit, nemo tamen erit, cui non persuadeat *Buttmannus* Ind. ad Platonis Dial. IV. p. 212 sq.,

ἀρξάμενος saepissime alii adhaerere nomini, atque quod ratio postulet. Cuius moris non ignari grammatici alii ἀρξαμένην dederunt ad μετάνοιαν tractum, pars ἀρξαμένων, alii ἀρξάμενοι cum ὑμεῖς ἔστε coniunctum voluerunt. Sed libraniorum nugas quis perspiciat, in earumque causis indagandis oleum perdat et operam?

v. 49. ἕως οὗ ἐνδύσησθε]. Coniunctivus sine ἄν particula sequitur etiam XVII, 8. διακόνει μοι, ἕως φάγω καὶ πίω, XXI, 24. permultisque aliis locis, quorum nubem ex s. scriptura coegerunt *Winer.* gr. p. 214 sq. *Wahl.* Clav. I. p. 677 sq. ex Atticis *Iacobs.* ad Achill. Tat. p. 568. *Goeller.* ad Thucyd. I, 137. nos ad Anab. II, 3, 2. Quantum ex iis, quae ut sacrorum scriptorum propria in lucem prolata sunt, colligi licet, si quis scire cupiat, quid in sensu discriminis faciat ἄν aut additum, aut omissum, ad alterutrum dicendi genus rectius intelligendum egregie quadrant, quae hanc in rem exposuit *Hermann.* Lib. II. cap. 8 sq. de particula ἄν. Dicit enim addi ἄν, ubicunque futurumne aliquid sit necne relinquatur dubium; contra si quid ut certum indubitatumque ponatur, supprimi. „Ita, inquit, iam moribundus quis recte diceret adstantibus amicis μίμνετε ἕως θάνω, non item ἕως ἂν θάνω, quod potius ei conveniret, qui non ita propinquam sibi putaret mortem esse.“ Apud Matth. X, 11. cl. Marc. VI, 10. mandavit Christus apostolis: κἀκεῖ μείνατε ἕως ἂν ἐξέλθητε significaturus, tam diu commorari ibi posse discipulos, quamdiu egredi ipsis libuerit. De reditu suo idem disserens miro trium testium

consensu Matth. XVI, 28. Marc. IX, 1. Luc. IX, 27. dixit: οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον, neque aliter Paulus I. Cor. IV, 5. μὴ — κρίνετε, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ κύριος, Ioh. Apoc. II, 25. κρατήσατε ἄχρις οὗ ἂν ἥξω Luc. XIII, 35. οὐ μή με ἴδητε, ἕως ἂν ἥξῃ ὅτε εἴπητε, nempe quoniam incertum est, an sit redituus Christus. Contra eventu comprobatum est, mirificis viribus apostolos coelitus instructos fuisse, atque XV, 4. homo dicitur amissam ovem, mulier drachmam v. 8. quaerere non desinere, priusquam ambo invenerint. Hinc neutrubi appositum esse ἄν videtur. Quanquam, ut verbis utar *Hermanni* „nemo non videt, etsi omittitur ὄν in re certa designanda, tamen multa esse ita comparata, ut non sint necessario pro certis vel incertis afferenda. Itaque non mirum est, si aliquando etiam incerta ut certa, saepe autem certa ut incerta proferuntur. Prouti enim consideres, hanc vel aliam speciem habebunt."

v. 50. ἐξήγαγε — ἔξω]. Cave cum *Kuinoelio* statuas abundare ex Hebraismo, quod optimae notae scriptoribus toties frequentatum esse constat, Demosth. p. 1278. v. 3. ἐξαγαγὼν ἔξω τὴν αἱμασιάν, Herodt. V, 103. ἐκπλώσαντες ἔξω τὸν Ἑλλήσποντον, Eurip. Orest. 1361. Porson. ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν. Plura dedit *Lobeck.* ad Sophoclis Aiac. p. 334. Contrarium est εἴσιθ' εἴσω Soph. Electr. 792. Talia noli in animum inducere a graecis hominibus distinctione divulsa fuisse, qui fuit *Gersdorfii* error l. l. p. 484. Matth. XXVI, 58. 75. εἰσελθὼν, ἔσω ἐκάθητο et ἐξελθὼν, ἔξω ἔκλαυσε πικρῶς temere interpungendum sua-

dentis. Non magis similia distinxeris Luc. XXII, 62. Act. IX, 40. Ioh. VI, 37. IX, 34 sq. XII, 31. Apoc. III, 12. XI, 2. Genes. XXXIX, 12 sqq.

v. 51. *ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν*]. Iisdem verbis de Romulo in coelum sublato usus est Plutarch. Romul. c. II. Certe Proculus *διωμόσατο Ῥωμύλον ἰδεῖν εἰς οὐρανὸν σὺν τοῖς ὅπλοις ἀναφερόμενον.*

v. 53. *διαπαντός*] *semper Hermanno* interprete ad Viger. p. 727., quem malim sequaris quam *Blomfieldium* Glossar. in Aeschyli Choëph. v. 1006. *ad finem usque* reddentem, quod etiam *Popponi* videtur coniunctim ubique scribendum esse Thucyd. P. I. Vol. I. p. 455. Praeter morem Matth. XVIII, 10. *Schulz.* dedit *διὰ παντός*, melius fortasse IX, 18. *καταμόνας* „cum dubium sit quodnam substantivum sit intelligendum.“ *Buttmanno* teste Ind. ad Platon. Dial. IV. p. 221.

Addenda ad Act. XIX sqq.

Multa sunt in Actis quoque, quae aut nondum a quoquam explicata fuerint, aut meliore interpretatione egeant: velut quum V, 3. omnes, quod sciam, interpretes Petri interrogationem et Sapphirae responsum εἰ τοσούτου τὸ χωρίον ἀπέδοσθε; ἡ δὲ εἶπε· ναί, τοσούτου reddere consueverint: *num tanti agrum vendidistis? Tanti sane, inquit Sapphira*, contra ac sententiarum nexus efflagitat, cui solum accommodatum est *tantilli*. Qui pronominis usus tam tritus est, paucis ut eum exemplis adstruxisse sufficiat: Xenoph. Cyrop. V, 2, 14. Τοσαῦτ' εἰπὼν δεξιὰν ἔλαβε, Memor. I, 3, 5. τοσαύτης δαπάνης, II, 4, 4. Anab. I, 3, 14. Κλέαρχος εἶπε τοσοῦτον, Dio Cass. LIX, 4. p. 934. 38. ἐν τοσαύταις ἡμέραις i. e. *intra tam paucos dies*. Plerumque μόνον in talibus locis intelligendum putant, vid. not. ad Anab. II, 1, 9. *Schaefer*. ad Iulian. p. XII. et *Locella* ad Xenoph. Ephes. p. 188. Sed de hoc aliisque locis pluribus quae notanda videantur, opportuniore tempore animus est expromere; nunc, quum non sine maxima animi voluptate animadvertissem, quae de nonnullis Actorum locis ante aliquot annos conscripseram (v. *Repertorium* bibl. exeget. ed. *Rosenmueller*. Vol. II. p. 231—306.), adeo non *Kuinoelio*, longe eruditissimo scripturae s. interpreti, displicuisse, ut in

secunda editione pleraque, sive nominato auctore sive tacite, in commentarium suum recipienda, alia diligentiori examini subiicienda, denique alia vel refutatione digna putaret, vel futuris libri praestantissimi explicatoribus corrigenda relinqueret, licent mihi, sicubi ab summi viri interpretatione recedendum existimaverim, sententiam meam qualemcunque in medium proferre.

Cap. XIX. v. 2. *ἀλλ' οὐδὲ, εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν*]. Post *ἐστίν* nondum desitum est suppleri *δοθέν*, tanquam quod lateat in praegresso verbo *λαμβάνειν*. *Schoettgenius* in Lambert. Bos. libro de Ellips. p. 142. Schaef. intelligi maluit *ἐκχυνόμενον*, ibidemque *Schwebelius* cl. VIII, 16. *ἐπιπεπτωκός*. Augeri haec poterunt bene multis iisque aptioribus fortasse additamentis, sed, opinor, invitis hominibus graecis, quos certo scio vix aliter haec accipere potuisse, quam hunc in modum: *sed ne audivimus quidem an spiritus sanctus sit*, nedum eum acceperimus, i. e. *tantum abest, ut spiritum sanctum eiusque dotes acceperimus, ut ne fando quidem his de rebus quidquam perceperimus*. Quod quam verum sit, clarissime ex v. 6. elucet, ubi postquam manus hominibus istis Paulus imposuisset, *ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς, ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ προεφήτευον*. Ita igitur non solum esse spiritum sanctum intellexerunt, sed etiam dotes eius perceperunt. Secus interpretanda Iohannis verba VII, 39. *οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι αἰτροῖς*, *nondum enim habebant spiritum sanctum*, i. e. *οὔπω γὰρ ἔλαβον πνεῦμα ἅγιον*.

v. 13. ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρά] Noli reddere: *eorum causa, qui a malis daemonibus agitarentur*, i. e. *ut sanarent homines a geniis malis agitatos*. Apoc. XVIII, 20. *Griesbachius* dedit εὐφραίνου ἐπ' αὐτῇ, neque aliter I, 7. κόψονται ἐπ' αὐτόν dicta sunt, quam Luc. XXIII, 28. μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμέ etc. quae pervulgata sunt. Diversa autem esse Hebr. XII, 10. ἐπὶ τὸ συμφέρον et Aelian. V. H. IV, 5. ἐπὶ τὴν γυναῖκα ἦλθε quis non videat? Simplicissimum igitur fuerit, aut eam rationem sequi, quae se probavit *Wahlio* Clav. I. p. 580. aut comparare XV, 17. τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς et Iacob. II, 7. τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, i. e. *ad vos* sc. adiuvandos. Illic populos intellige, *ad quos adiuvandos numen divinum invocatum est*, i. e. *qui meum auxilium implorarunt*. Secus accepit *Wahl.* l. l. p. 594.

v. 27. *Valckenarius* ad Act. XVII, 4. p. 543. „Ubicunque, inquit, copula τέ praecedit, necessario sequi debet καί." Quod si verum esset, *Wineri* gr. Part. II. p. 168 sq. de Rom. I, 26 sq. disputatio concideret ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄῤῥενες ita tuentis, ut reddenda existimet: *et simili modo etiam mares*. Sed nec τὲ — τὲ ita raro coniuncta reperiuntur testibus *Baehr.* ad Plutarchi Pyrrh. cap. VII. et *Wahl.* Clav. II. p. 538. E., quocum nolim τὲ καί pro καί dictum existimes, nec languida mihi placet illa *Wineri* conversio, qui omnino loci non meminerim, ubi ὁμοίως τε καί illo sensu vocalas τὲ γάρ exceperit. Tritissimum autem fuit δέ vel δὲ καί postponi. Cy-

rop. IV, 4, 3. Ὁ δὲ διήκουέ τε ἡδέως πάντων, ὅσα ἐβούλοντο λέγειν· ἔπειτα δὲ καὶ ἐπῄνεσεν αὐτοὺς οὕτως· Platon. Menon. p. 93. C. οὐκ ἂν ἐβουλήθη ἄλλους τέ τινας καλοὺς κἀγαθοὺς γενέσθαι, μάλιστα δὲ καὶ τὸν υἱὸν τὸν αὑτοῦ, ubi vid. *Stallbaum*. p. 116. Eiusdem Alcib. I. p. 123. A. ἔκ τε γὰρ τῶν τοιούτων μέγιστοι λήψεις καὶ πλεῖσταί εἰσι τοῖς βασιλεῦσιν· ἔτι δὲ καὶ ὁ βασιλικὸς φόρος οὐκ ὀλίγος γίγνεται. Alcib. II. p. 147. B. ἔστι τε γὰρ φύσει ποιητική — ἔτι δὲ πρὸς τῷ φύσει τοιαύτη εἶναι. Vid. *Engelhardt*. ad Platon. Lachet. p. 18. *Hermann*. ad Eurip. Med. 1214. Alcest. *Monk*. 199. *Reisig*. ad Soph. Oed. Col. Comment. crit. p. 303. In Act. XIX, 3. XXII, 8. 10. 28., quos locos *Wahlius* Clav. II. p. 538. excitavit, non ad sequentia spectare τέ suspicor, sed superioribus adnectendum esse. Idem, nisi fallor, cadit in Act. II, 46. XVI, 11. 12. ubi prius τέ totam afficiens sententiam praegressis iungendum est ita, ut alterum ei non respondeat. Pari ratione geminatum τέ ab *Hermanno* explicatum est ad Euripidis Bacch. 743. et 1122. non improbante *Matthiaeo* not. ad Bacch. 1083. Contra ambiguum locum Act. XVII, 4. reddiderunt et codd. Alex. Cantabr. al. auctoritas et *Valckenarius*.

v. 40. Quod ex tot bonae notae codicibus a *Griesbachio* ante δυνησόμεθα in textum admissum est οὐ, quum non videatur nauci faciendum esse, nec nisi dubiam difficillimamque habeat interpretationem, in mentem mihi venit coniecturae, quam iis, quae ad Lucae Evang. XVII, 37. disputata sunt, nonnihil confirmari intelliges. Etenim, si alio ullo

in loco, hic neutiquam ineptum erit ποῦ „modo meminerit aliquis, ποῦ hic non proprie ubi, sed ut solitum in indignatione, fere idem quod πῶς esse." *Hermann.* ad Soph. Aiac. 1260. p. 191. ed. sec. Cf. *Matthiae* gr. §. 611. p. 1236. Nimirum scribendum videtur περὶ οὗ ποῦ δυνησόμεθα ἀποδοῦναι λόγον τῆς συστροφῆς ταύτης; Testimonii causa *Porsoni* verbis utar ad Eurip. Orest. 792.: „Alexis Stobaei CXIII. p. 467. εἰ μὴ γὰρ ὢν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις Ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν. Levis res, sed in scena Attica non ferenda, iste hiatus. Lege igitur ad Euripidis normam, ποῦ φανήσομαι φρονῶν;" Sed benevolum lectorem ne quid celare audeam, alia medela eaque, nisi fallor, aliquanto commendabilior in membranis latet iis, quae ante τῆς συστροφῆς insertum habent περί. Enimvero Lucas quum dedisset περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα ἀποδοῦναι λόγον περὶ τῆς συστροφῆς ταύτης, quid sibi vellent illa verba περὶ οὗ adiectis extremis vocabulis ipse luculenter docuit, sed librarii ad iteratam praepositionem offensi nihilque ea opus esse rati deleto inutili vocabulo aliis ad negationem οὐ omittendam facilem dederunt occasionem. Quicunque enim cum recentioribus interpretibus locum reddidissent: *cum nulla adsit causa idonea, qua concursus huius rationem reddere possimus*, his non potuit non negatio illa molesta esse. Alii contra, postquam ob ὁμοιοτέλευτον excidisset οὗ, ut sibi oratio constaret, posterius περί de medio tollere tantum non coacti erant. Omnino librarios nihil mirum est in dicendi genere haesitasse, quod viro praestantissimo et te-

tius graecitatis inter paucos peritissimo *Valckenario* temere olim suspectum fuit ad Xenoph. Memor. IV, 7, 5. τὸ δὲ μέχρι τούτου ἀστρονομίαν μανθάνειν, μέχρι τοῦ — γνῶναι. Platon. Lachet. p. 191. B. καὶ αὐτὸν τὸν Αἰνείαν κατὰ τοῦτ' ἐνεκωμίασε, κατὰ τὴν τοῦ φόβου ἐπιστήμην, Lysias Orat. adv. Ctesiph. §. 24. p. 68. *Bremi* μετὰ τῶν συμφύτων νοσημάτων αὐτῷ ἤδη τὰ μετὰ ταῦτα ἐβουλεύετο, μετὰ δειλίας καὶ τῆς πρὸς Φιλοκράτην ὑπὲρ τῆς δωροδοκίας ζηλοτυπίας, ubi recte observavit editor, non sine vi fieri, ut in appositione repetatur praepositio, quae adsit vel nomini vel pronomini, cui addatur praepositio, ut eam Latine per *et quidem* reddere possis. Ad Memor. l. l. a me comparatis accedat Demosthenes c. Eubul. p. 1306. extrem. καὶ περὶ ὧν μὲν ἄν τις ζῶν αἰτίαν σχῇ περὶ τοῦ γένους, δίκαιον τοὺς παῖδας τὴν ἀειλογίαν παρέχειν, quibus e verbis non est quod illa περὶ τοῦ γένους extrudas. Epexegesin esse puta ex eo genere, quod Platoni maxime frequentatum exemplis illustravit *Matthiae* gr. §. 439. p. 822. cum aliis, *Heindorfio* ad Platon. Gorg. p. 121. Protag. p. 474. collectis, tum hoc Platonico ὃ μεταξὺ ἄρα νῦν δὴ ἀμφότερον ἔφαμεν εἶναι, τὴν ἡσυχίαν, τοῦτό ποτε ἀμφότερα ἔσται, λύπη τε καὶ ἡδονή. Quibus ita expositis totus versus reddendus erit hunc in modum: *etenim verendum est, ne propter hodiernum diem accusemur seditionis, cum causam eius nullam habeamus s. cuius nullam habeamus causam; nam huius rei, videlicet concursus huius, rationem reddere non poterimus.* Puerilem hanc esse dicendi infantiam non diffiteor, sed eam tamen, quae nec a familiaris

sermonis ingenio nec a graecae linguae legibus recedat. Cf. XV, 17.

Cap. XX. v. 23. Nondum mihi persuasit eruditissimus *Kuinoelius*, Christianos illos, qui Paulo de futura captivitate praedixissent, ab Apostolo vocari τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Provocavit quidem ad XIII, 2. et V, 3. sed priorem locum ut ipse transtulit: *spiritus divinus*, *s. Deus nos monuit*, ita quomodo spiritus divinus monuerit, incertum apostolus reliquit, nec X, 19. de propheta licet cogitari, qui cum Petro visionis interpretationem communicaverit, et VIII, 26. ἄγγελος κυρίου traditur cum Philippo colloquutus esse. Non magis V, 3. *Kuinoelii* sententiae favet, ubi τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον id ipsum audit, unde Petrus resciverat, Ananiam fraudulentum fuisse, nempe ὁ θεός v. 4. Quodsi semet ipsum Petrus ceterosque apostolos πλήρεις πνεύματος ἁγίου appellasset, sibi ipse repugnasset dicendo nunc: *cur nos apostolos fefellisti*, nunc: *non homines fefellisti sed deum*, siquidem homines fuerunt apostoli. Ceterum cur ψεύσασθαί σε significare velint *ut fallere conareris*, tanto minus exputo, quo gravius deum pariter et homines fefellerat, qui accepti pretii portionem tantum aliquam apostolis obtulerat, simulans quippe, integram hanc pecuniae summam esse, quae ex vendito agro redierit.

v. 24. Ut idem esse ὡς atque ὥςτε ostenderet *Devarius* lib. de gr. linguae particulis p. 372 sq. Reusm., Aeschinis locum orat. c. Timarch. Vol. III. p. 169 sq. edit. Reisk. excitavit, sed infausto Marte, quandoquidem nulla hodie Aeschinis editio circum-

